
ANDR. PATRICII NIDECICI

NOTAE

In duas M. Tullii Ciceronis orationes.

Ad Ioan. Zamoſcium Regni Cancell.



CRACOVIAE.

In Officina Lazari. Anno M. D. LXXXIII.

In Orationes

I. Pro Q. Ligario.

II. Pro Rege Deiotaro.

ILLVSTRI VIRO
IOAN. SARIO ZAMOSCIO
SVPREMO R. P. CANCELL.
Exercitt. q. Duci,
ANDR. PATRICIVS NIDECICVS
Præpoſit. Varſouien.
S. P. D.

QVOD DE MVLTARVM olim Græciæ ciuitatum, de Homeri natalibus inter ſe litigantium, certamine, litteris proditum eſt, Ioan. Zamoſci, id nos hic ferè in omnium Reip. noſtræ ordinum contentione, de clariſsimarum tuarum virtutum vſu & poſſeſsione ſibi vendicanda controuertentium, vſu euenire facile experimur. Primùm enim ſcholæ ipſæ, quæ te quondam infantẽ propemodum exceperunt, & deinde optimis artibus & litteris imbutum adoleſcentem reip. tradiderunt, magno te ſibi conatu repetunt, tuoſque illos præclaros de Senatu Rom. libros duos, pro obſidibus retinent, non ſolùm reconditæ cuiuſdam eruditionis, ſed etiam conſtantis gratiæ & beneuolentiæ erga ſe tuæ. In ijs docti ho-

mines, quorum tu plerosq; nuper ex media Italia in Poloniam, maximis reip. propositis stipendijs euocari studuisti, & quanquam res perfici nõ potuit, hoc ipso tamen & famam eorum & fortunas non leuiter amplificauisti, ita te in suis numerant, vt vix vllam cæteris mortalibus tui partem vsurpandã relinquant. Quibus deinde quasi reclamans exaduersò aula ipsa regia, suum te esse contrà asserit, & ex se potissimùm ad hominum commendationem profluxisse contendit; illo quidem etiamtum tempore, cùm regis iussu, vnus præ cæteris tuis æqualibus, ad exquirendas absentium à senatu senatorum sententias, sœpe allegarere; & quas collegisses, easdem rursus in senatu, memoriter, & summa cum dignitate, regi ipsi recitares. Cum deinde, eiusdẽ illius regis iussu, illos monimentorum publicorum, ex archiuo regni depromptorum commentarios tuos, maxima industriæ tuæ laude persperfos, via etiam ac ratione certa institutos, conscriberes. Quibus tu oculos penè cornicum confixisti, & cùm teipsum omnium reip. monumentorum bene peritum ciuem præbuisti, tum rempub. ipsam, bona sua, densissimis antea obsita tenebris, clarè admodum ac perspicuè cernere fecisti: atque iis eiusmodi in aula positis rudimentis, regis primũ oculos, deinde etiam multorum præterea ora, in te conuertisti: & vt aula, suum te esse in perpetuum iactare possit, perfecisti. Iamuerò Equester ordo ipse, longè lateque per tribus ipsas & territoria fusus, suum te quoque esse affirmat; pro quo tu periculosissimo illo superiorum interregnorum tempo-

tempore, difficilibus, ſed nomini tuo admodum glo-
rioſis, & domi & foris legationibus obeundis, toties
es functus. Quas ille ordo legationes tuas, pro ſalute
ſua ſuſceptas, prædes nunc etiam veluti quoſdam eſſe
ſtatuit egregiæ tuæ erga ſe voluntatis. Cui quidem
ordini ſubtrahit te quaſi rurſus, & totum ſuum eſſe,
maximo animo obiicit, populus ipſe vniuerſus. In
quo, ſupremas aliquot præfecturas ita paſsim admini-
ſtras, vt te vindice, ius faſque omnium in rep. obti-
neat, vis & iniuria potentiorum prohibeatur. Quid
tuus iſte, quem ſibi boni omnes communem tecum
eſſe ducunt, Cancellariatus, egregius virtutis tuæ cã-
pus, pro omnium noſtrum libertate & ſalute exer-
cendæ? Ille verò ita te publicis ipſis reipub. magiſtra-
tibus inſerit, vt & ipſi te quidem illi, non modò vnum,
ſed etiam primum, ex ſuo numero eſſe conſtantiſsimè
aſſeuerent, & nos, dum res tuas in hoc magiſtratu ge-
ſtas, cum aliis rebus tuis geſtis conferimus, cæteras
quidem functiones publicas aliquam fortaſsis tui par-
tem delibaſſe, hunc magiſtratum, totum te ſibi rapu-
iſſe iudicemus; nec tamen, quod dicendum eſt, to-
tum abſorpſiſſe videamus. Nam vt ab iis, quæ pacis
ſunt, aliquando diſcedam, & de bello etiam ipſo ali-
quid dicam. Caſtra mediusfidius, & vniuerſæ illæ ex-
ercituum reipub. noſtræ, cohortes fortiſsimæ & nu-
meroſiſsimæ, non te iam quaſi factum aliquem, & ali-
unde ad ſe miſſum ducem, ſed quaſi in ipſis ſuis vi-
ſceribus conceptum, & optimo ſuo fato genitum im-
peratorem quendam, totum planè ſibi vendicant, ne-

que te

que te nisi ægerrimè, ad ipsa pacis negocia, idq. non vti in perpetuũ à se ablegatum hominem, sed quasi ad tempus à repub. impetratum, à se reipub. commodatum virum, è complexu ipso suo dimittunt; nec aliter reipub. ipsi vtendum fruendum concedunt, quàm vt ne frustrà, necessario ipso quolibet bellicæ expeditionis tempore, præsentiam tuam cogantur præstolari Interim autem dum abesse te sentiunt, pro præsentia ipsa tua, sua se illa gloria sustentant, quæ est fructus quidam immortalis, tot tam insignium victoriarum per te adeptarum. inprimis autem memoriam ipsam recẽtem amplectuntur patris tui: viri tum equitum præfecturis, tum imperio etiã militari, cum titulo aulicarum copiarum Ducis, & quod caput est, cum summa & fortitudinis ac prudentiæ laude, & patriæ dignitate pariter ac vtilitate perfuncti: quem ipsum, in illa ipsa expressissima rerum tuarum gestarũ imagine, assiduè sibi videntur contemplari. Quid præterea? Etiam sacerdotes ipsi, & omnis ille sacratorum ac Deo dicatorum virorum coetus & conuentus venerandus, suum te planè esse gloriatur, & in eo, pro syngraphis quasi quibusdam, per te ad eam firmandam rem confectis, tuas illas statas ac solennes preces, diuino quotidie numini piè ac religiosè persolui solitas, tua etiam illa, ex ritualibus libris nostris deprompta, diuini peragendi obsequii monumenta, quæ tu tuis manibus ad Dei laudem in dies terere non dubitas, cùm cæteris omnibus passim ostentat, tum sibi etiam ipsi, quasi pignora quædam retinet; atque his eiusmodi tam apertis tui

erga ſe animi ſignificationibus excitatus, libenter admodum in tuo præſidio conquieſcit; atq. vtinam conquieſcat. Quid verbis opus eſt? Ita te omnes ſummi, medii, infimi, vnicè, vt dixi, complectuntur, vt ſinguli in ſolidum ſuum eſſe, non modò alachri animo fateantur, ſed etiam ex iure quaſi ipſo, omnibus legibus repetant, & pro te tantùm non digladientur. Iam enim, quod hoc denique loco dicendum eſt, ne illa quidem ocioſorum, & ad ludicra natorum hominum turba, alienum te eſſe à ſuis ſtudiis arbitratur: cuius tot tam lautè inſtructa conuiuia dilaudat, tot tam vrbana dicta celebrat, tot tam magnificos præbitos ludos numerat, tot tam ſumptuoſa publicè edita ſpectacula cũ voluptate prædicat, vt qui te propius non norunt, hi te, vnum hoc ferè dies noctesque meditari arbitrentur. Tu autem interim, dum obiter aures, oculos, ventres iſtorum paſcis, omnes præterea reipub. partes circumſpicere non negligis, & ne quid fortè vſpiã claudicet, ſingulari tua prudentia prouides & procuras. Et omninò ita te geris, vt de te illud iam paſsim ſuauiter admodum vſurpari audiamus:

Omnis Ariſtippum decuit color, & ſtatus, & res.

Sic enim te das omnibus, ſic omnium neceſsitati morem geris, ſic te ad omnium quaſi mores effingis in repub. atque accommodas, vt qui te iampridem ſuum eſſe dicunt, ii te ad alios totum commigrare minimè patiantur; qui fortè interius nondum norunt, ii ſenſim miro quodam ſtudio tui & amore aſsiduè magis atque magis exardeſcant. Meritò te igitur Rex quo-

que ipſe. At qui rex? quem quis in vita viderit optimum, maximum, prudentiſsimum, bellicoſiſsimum. Meritò te, inquam, Rex hic in oculis fert, & maximis in dies beneficiis cumulat: meritò nunc etiam, quaſi antea non ſat ſuum fuiſſe exiſtimauerit, ita nouo & recenti arctiſsimæ huius, quæ ex fratris germani filiæ nuptiis expectari potuit, affinitatis vinculo, ſibi ac reipub. denuò deuinciendum eſſe iudicauit. Vt nemo iam in vniuerſa, quàm latè patet, Polonia, eſſe ac viuere videatur, qui non aut te ſuum eſſe amet, aut ſe certè tuum eſſe concupiſcat. Quæ cùm ita ſint, mirum ſanè non eſt, ſi ego quoque inter cæteros, peculiari quodam iure meo, meum te eſſe & deputauerim ſemper, & nunc etiam deputem, patronum, defenſorem, amplificatorem, rei, fortunæ, dignitatisque meæ. Qui mihi pridem benignitate tua ſingulari, & hæc quidem quæ dudum abſoluta videbantur, vt poſſem, quantũ opus ſit, aliquando recognoſcere, liberale ocium prouidiſti; &, ſi bene te noui, vt etiam deinceps maiora quædam poſsim, ſiue inchoata perficere, ſiue adeò ne inchoata quidem inſtituere, eadem illa beneficentia tua prouidebis. Quam ego incredibilem & penè diuinam animi tui erga me propenſionem, vt aliquo ſaltẽ interea gratæ meæ voluntatis argumento, publicè teſtatam facerem, iccirco hoc iſtud, minorum fortaſſe, ſed diuturniorum vigiliarum mearum munus, tibi eſſe cenſui dedicandum. Notæ ſunt meæ in duas M. Ciceronis orationes. Quas vt benignè accipias, etiam atque etiam abs te peto. Minutula eſſe fortaſsis cuipiam

piam videbuntur. Verùm non, opinor, tibi; qui iampridem tuam quoque industriam iuuenilem, in his eiusmodi ponere aliquando nõ dubitauisti, & qui multorum item magnorum in Italia, Hispania, Gallia, Germania, virorum coniecturas, in hoc eodem genere enituisse cognouisti. Et profectò humilia iudicari non debent, quorum semper, ad veterum auctorum maximorum intelligentiam, vsus est habitus maximus. Et, si humilia sint, sicut planè primo aspectu ipso, eiusmodi apparent; tanto herclè pluris æstimanda, quanto in contemptibilioribus istis arculis, maior, multorum opinione thesaurus delitescit. Quod si quis etiam, ob id, quòd mea sunt, planè putet esse negligenda, is ita habeat. Primùm; & nos aliquando manum ferulæ subduxisse. Deinde, in maioribus quoque, tum profanis, tũ ecclesiasticis quibusdam rebus, aliquod tamen ingenii nostri specimẽ eluxisse. Quod quidem præter cætera, quæ hactenus à nobis in publicum edita sunt, opera, repræsentare etiam poterunt Commentarii primùm actorum publicorum, litteris nostris olim consignati, dum opera nostra Regibus, quod scis, & rei pub. inseruiret. Quibus, si modò diui alicuius beneficio, ocii plusculum nanciscamur, vix eam, quam dudum prospectare videntur, lucem hominum, diutius posse videbimur inuidere. Tum autem demonstrare idem poterit liber alius, quem præ manibus iam habemus; in quem quidem non pauca coniecimus, quæ tranquillandis temporum nostrorum commotis religionibus apta esse existimauimus. Opus argumento sublime,

vſu neceſsarium, tractatione nouum. Cui in publicum iam propemodum prodeunti, omnem beneuoli lectoris attentionem, & gratam, vt ſic dicam, audientiam, meritò fauere & optare debemus. Quorum omnium operum ſermo noſtrorum, ſi cuiquam non prorſus putidus, aut aliàs viſus eſt, aut deinceps fortè videbitur, is ſciat, nunquam nos, ad illa grandiora, niſi his humilioribus, de quibus loquimur, quorumq́. ad te guſtum hoc tempore mittimus, poſitis gradibus, aſcendere potuiſſe: & omninò quantuli ſumus, haud ferè alia re, quàm eiuſmodi quaſi humiliorum litterarum ſtudio etiam atq. etiam vrgendo, factos eſſe. Bene vale. Cracouiæ Idib. Septembr. Anno Chriſti, M. D XXCIII.

6

CIC. LIB. II. DE DIVINAT

Bene qui coniecerit, vatem hunc
perhibeto optimum.

ANDR. PATRICII NIDECICI IN ORATIONEM M. TVLLII CICERONIS PRO Q. LIGARIO Notæ.

ORATIO.

1. CICERO

NOVVM crimen C. Cæsar, & ante hunc diem inauditum propinquus meus ad te Q. Tubero detulit, Q. Ligarium in Africa fuiße: ídque C. Pansa, præstanti vir ingenio, fretus fortaſſe ea familiaritate, quæ est ei tecum, auſus est confiteri. Itaque, quo me vertam, neſcio. Paratus enim veneram, cùm tu id neque per te ſcires, neque audire aliunde potuiſſes, vt ignoratione tua ad hominis miſeri ſalutem abuterer. Sed quoniam diligentia inimici inueſtigatum est, quod latebat: confitendum est, vt opinor: præſertim cùm meus neceſſarius C. Panſa fecerit, vt id iam inte-

grum non esset: omissáque controuersia omnis ratio ad misericordiam tuam conferenda est, qua plurimi sunt conseruati, cùm à te non solùm liberationem culpæ, sed errati veniã impetrauissent. Habes igitur Tubero, quod est accusatori maximè optandum, confitentem reum, sed tamen ita confitentem, se in ea parte fuiße, qua te Tubero, qua virum omni laude dignum patrem tuum. Itaque prius de vestro delicto confiteamini necesse est, quàm Ligarii vllã culpam reprehendatis. Q. igitur Ligarius, cùm esset adhuc nulla belli suspicio, legatus in Africam cum Proconsule C. Considio profectus est: qua in legatione & ciuibus & sociis ita se probauit, vt decedens Considius prouincia, satisfacere hominibus non posset, si quenquam alium prouinciæ præfecisset. Itaque Q. Ligarius, cùm diu recusans nihil profecisset, prouinciã accepit inuitus: cui sic præfuit in pace, vt & ciuibus & sociis gratissima esset eius integritas & fides.

NOTAE.

NOVVM CRIMEN &c.) Omnia hæc ironicῶs loquitur.

PATRIC. IN AFRICA FVISSE) & contra te pro Pompeio stetisse. subaudio. Sed orator de industria odium rei atrocissimæ, verbis lenit ac mitigat quàm mollissimis.

IDQVE C. PANSA) Legerem ferè. ID QVOD. Refero autem ad, crimen, Id videlicet crimen Tubero detulit, quod iam Pansa

Pansa est confessus. Ostendit autem neque nouum esse, quod alius ante Tuberonem est confessus, neque crimen ingens, quod præstanti vir ingenio dissimulandum aut celandum sibi esse non existimauit. Ita hic quoque ab ironia non discedit.

AVSVS EST CONFITERI) AVSVS, ironicè planè loquitur, quasi de re magna, si diis placet. AVSVS, autem, CONFITERI, non pro testimonio, ab accusatore productus aduersus Ligarium, vt aliquis existimet, sed dum, vnà cum Ligarii fratribus, Cæsari pro Ligario hoc nostro supplicaret. Alioqui non dixisset, confiteri, de teste aduersus reum producto: sed dixisset, dicere in eum: vel iam, profiteri, potius quàm, confiteri.

PARATVS ENIM VENERAM CVM TV ID NEQVE PER TE SCIRES, NEQVE AVDIRE ALIVNDE POTVISSES, VT IGNORATIONE TVA AD HOMINIS MISERI SALVTEM ABVTERER) PARATVS ENIM VENERAM. Subaudi, tunc, CVM TV ID &c. Ita duo dicit in his quidem verbis superius præscriptis. Vnum, quo tempore scilicet defensionem Ligarii meditatus fuerit. Alterum, quomodo, & in quem finem meditatus fuerit. Quæ tamen ipsa, ironicῶs etiam intelligenda sunt. Atque hæc quidem non pessimè dicuntur. Verùm ego tamen totum ferè illud, CVM TV ID NEQVE PER TE SCIRES, NEQVE ALIVNDE AVDIRE POTVISSES, aut abundare, quod magis putem, aut certè ita locandum esse, vt dicam, existimem. PARATVS ENIM VENERAM, VT IGNORATIONE TVA, CVM TV ID NEQVE PER TE SCIRE. (Sic enim tunc ferè mallem, quàm, SCIRES,) NEQVE AVDIRE ALIVNDE POTVISSES, AD HOMINIS MISERI SALVTEM ABVTERER. Sed priorem opinionem tueor libentius vt abundare existimem. Hæc enim omnia, etiamsi relinquerentur, non multa omninò habere in se videntur, quæ Ciceronem redoleant.

QVOD LATEBAT) Legerem. QVOD TE LATEBAT. Quin potius totum hoc delerem ferè vt glossema. Quod tamen si retinendum esset, illo quidem loco melius propemodum poneretur, CVM ID QVOD LATEBAT, NEQVE PER TE SCIRES.

VT ID IAM INTEGRVM NON ESSET) id est. Vt

mihi de hac causa, tanquam de re integra, & nondum in alteram partem præoccupata, minimè liceat deliberare. Quid tamen si legam, VT ID NEGARE INTEGRVM NON ESSET.

OMISSAQ. CONTROVERSIA) quæ constat intentione actoris & depulsione rei.

OMNIS RATIO) Malo, OMNIS ORATIO.

NON SOLVM LIBERATIONEM CVLPAE, SED ERRATI VENIAM) LBERATIONEM CVLPAE, vti innocentes: ERRATI VENIAM, vti nocentes quidem, sed misericordiā cōsecuti. Culpam enim appellat, quæ illis iure an iniuria obiiciebatur, insimulationē qualemcunq; (hoc enim inesse videtur in culpæ appellatione) errorem autem leuissimo nomine vocat id, cuius affines essent ii, qui contra Cæsarem stetissent. Notat Lambinus τὸ SOLVM, abesse à libris nonnullis MSS. Quod quidem mihi quoque ipsi, vt verum fatear, in mentem veniebat, antequam ad eam, quam dixi, verborum intelligentiam peruenissem. Ac propterea quidem, illud etiam cogitabam, si forte sic legendum esset. NON SOLVM ERRATI VENIAM, SED CVLPAE ETIAM LIBERATIONEM, vocibus transpositis.

IN EA PARTE FVISSE) in factione Pompeii. Pars, igitur pro factione.

SE IN EA PARTE FVISSE, QVA TE TVBERO, QVA VIRVM OMNI LAVDE DIGNVM PATREM TVVM) Supple, fuisse confitetur: vel, fuisse ostendam. Alioqui planius erit, si legas, SE IN EA PARTE, QVA TE TVBERO, QVA VIRVM OMNI LAVDE DIGNVM PATREM TVVM, FVISSE. Atque hoc est potissimum in hac defensione telum in aduersarium vibratum & contortum.

PRIVS DE VESTRO DELICTO CONFITEAMINI NECESSE EST, QVAM LIGARII CVLPAM REPREHENDATIS) DE VESTRO DELICTO. Tuo scilicet & patris. CONFITEAMINI, etiam, tu & pater tuus. Culpam, autem appellat, vel, vt modò dixi, quamcunque insimulationem, vel certè loquitur ex accusatorum magis, quâm ex sua sententia. Quo de genere locutionis, dixi in ea pro Rabir. Post. n° 2. & quidem in hoc ipso culpæ vocabulo. Hic plura dicturus non eram, nisi in mentem venisset mihi, extitisse olim quendam

quendam æqualium meorum, qui ſumpta ex hoc loco coniectura, delictum culpa maius eſſe arbitrari videretur. Quod ego tum ſanè etſi in medio relinquebam, tamen hoc quidem ex loco colligi poſſe non videbam. In quo ironiam etiam eſſe dixerim, hac ſententia. Vos Tuberones in eadem fuiſtis factione Pompeii. in qua Ligarium fuiſſe, accuſatis. Et tamen quod vos feciſtis, delicti leuiſſimo nomine appellatis, Ligarium culpæ grauiſsimæ affinem facitis. Sed quicquid eſt, inquit, ſanè de veſtro peccatello prius confiteamini neceſſe eſt, quàm Ligario hanc tãtam ſcilicet notam inuratis. Primùm igitur, & factum illorum, delictum, & factum Ligarii, culpam, non de ſua, ſed de Tuberonum ipſorum ſententia, per ſummam ironiam appellat: cum vtraque vel paria, vel etiam in Tuberonibus atrociora eſſe, & videat ipſe, & ſentiat, & ab aliis videri ac ſentiri velit. Deinde per eandem Ironiam, facetè ludit inſulſitatem Tuberonum ipſorum: vel potius, tacitè quidem ſed inuidiosè admodum, iniquitatem eorum reprehendit, qui vnum atque idem crimen, alio vocabulo in ſeipſis dignentur, alio nomine in aliis deſignare non dubitent. Poſtremò tantum non admonet, vt ante omnia ſe ipſi reſpiciant, & quid ipſi egerint, quidùe admiſerint, diligenter etiam atque etiam ſecum conſiderent: atque tum demum ad accuſandum alios accedant. Infrà 12. Non concedo, vt quibus rebus gloriemini in vobis, eaſdem in aliis reprehendatis. Ac alienam quidem illam de culpæ & delicti diſcrimine opinionem, video nunc etiam doctiſsimo viro non improbari. Et tamen quod ſemel in hoc genere ſcripſiſſem relinquendum eſſe exiſtimaui.

LEGATVS CVM PROCOS C. CONSIDIO) Quid ſi, abſque, CVM. Sic. LEGATVS PROCONSVLI C. CONSIDIO. Lambinus notat alicubi abeſſe, PROCOS.

VT DECEDENS CONSIDIVS PROVINCIA) Vltima vox ſi abeſſet, meo quidem iudicio, ſententia non modò non laboraret, ſed etiam & magis Romana, & magis Senatoria appareret. Præſertim cùm ſtatim ſequatur rurſus, Prouinciæ præfeciſſet. Sic mox. Cum diu recuſans nihil profeciſſet, prouinciam accepit. RECVSANS, enim, intelligo, prouinciam: vt hic, DECEDENS, ſubaudiendum, prouincia. Quod quidem verbum ipſum maximè proprium prouinciæ eſt.

SIC PRAEFVIT IN PACE) IN PACE, quoad ſcilicet pax eſſet, Sequitur enim ſtatim. Bellum ſubitò exarſit.

ORATIO.

II.
CICERO.

BEllum subitò exarsit: quod, qui erant in Africa, antè audierunt geri, quàm parari. Quo audito, partim cupiditate inconsiderata, partim cœco quodam timore, primò salutis causa, pòst etiam studii sui quærebant aliquem ducem. Tum Ligarius domum spectans, et ad suos redire cupiens, nullo se implicari negocio passus est. Interim P. Actius Varus, qui Prætor Africam obtinuerat, Vticam venit. Ad eum statim concursum est, atq; ille non mediocri cupiditate arripuit imperium: si illud imperium esse potuit, quod ad priuatum, clamore multitudinis imperitæ, nullo publico consilio deferebatur. Itaq; Ligarius, qui omne tale negocium cuperet effugere, paulum aduentu Vari conquieuit. Adhuc C. Cæsar Q. Ligarius omni culpa vacat. Domo est egressus non modò nullum ad bellum, sed ne ad minimā quidem suspitionem belli: legatus in pace profectus, in prouincia pacatissima ita se gessit, vt ei pacem esse expediret. Profectio certè animum tuum non debet offendere. Num igitur remansio? multò minus: nam profectio voluntatem habuit non turpem, remansio etiam necessitatem honestam.

NO-

NOTAE.

PATRIC.

BELLVM EXARSIT) Ciuile scilicet.

CVPIDITATE INCONSIDERATA) quòd fauerent Pompeio.

COECO TIMORE.) quòd sibi à te nescio quid timerent. Falsum metum & inanem, pro Marcello appellauit n° 8. Sed tamen ibi cupiditatem ab eis remouet, vt & infrà ibidem n° 11. Quam hic illis tribuit. De quo ipso, ita paulò inferius disputat, in eadem oratione n° 10. Ista causa, inquit, sceleris nomine adhuc caruit. alii errorem appellant, alii timorem, qui durius, spem, cupiditatem, odium, pertinaciam, qui grauissimè, temeritatem. Scelus præter te adhuc nemo.

PRIMO SALVTIS CAVSA) de qua timebant: POST ETIAM STVDII in Pompeium scilicet.

PRIMO SALVTIS CAVSA, POST ETIAM STVDII SVI QVAEREBANT ALIQVEM DVCEM) Etsi τὸ, SVI, ad STVDII, referri posse videatur, tamen ego libentius pro eo reponerem, SIBI. Sibi quærebant aliquem ducem. Sed probo Lambinum ex libris veteribus. PRIMO SALVTIS, POST ETIAM STVDII SVI QVÆREBANT ALIQVEM DVCEM. Delet videlicet τὸ, CAVSA.

DOMVM SPECTANS ET AD SVOS REDIRE CVPIENS) Quod sequitur, interpretatio est prioris: atq; haud scio, an assutũ aliunde. Certè si absit, magis Senatoriam reddet orationẽ.

ITAQVE LIGARIVS QVI OMNE) legerem. IBIQVE LIGARIVS. Exponerẽ autem, IBI, in Africa scilicet.

QVI OMNE TALE NEGOCIVM CVPERET EFFVGERE.) Delerem, TALE. Modò enim. Nullo se, inquit, implicari negocio passus est Interdum legerem eiusmodi aliquid. QVOM MILITARE NEGOCIVM CVPERET EFFVGERE.

ADVENTV VARI) Quid si, MANDATO VARI, vel, MANDATV, si dicere fas est, vt, iussu. Nam infrà n° 3. necessitatis hoc crimen esse ait, si crimen est: non voluntatis. Sed abiicienda forsan & repudianda, mandati coniectura est, Sic enim infrà ibidem.

ibidem. Tertium tempus,quo post aduentum Vari in Africa restitit. Vbi apertè aduentus mentio fit, non mandati. Nisi fortè ex illo bono,huc perperam aduentus illatus sit. Libenter enim legerem, MANDATV, potius quàm, ADVENTV. Vide infrà 3.

ADHVC C. CAESAR) ADHVC, pro, ad hoc tempus, de quo dico. Est autem tempus profectionis in Africam. Quare mox egregiè. Ergo, inquit, hæc duo tempora carent crimine.

OMNI CVLPA VACAT) Nihil ei vitio verti potest.

LEGATVS IN PACE PROFECTVS, IN PROVINCIA PACATISSIMA ITA SE GESSIT) Quid? si distinguas. LEGATVS IN PACE (id est, missus tum, cùm etiam pax vigeret. Infrà n° 18. sic. Legatus ante bellum profectus, relictus in pace. PROFECTVS IN PROVINCIAM PACATISSIMAM, ITA SE GESSIT. Nec obstat huic coniecturæ, quòd statim infrà dicitur. Vnum, cùm est Legatus profectus. Vtrumque enim bene dicitur.

PROFECTIO CERTE) Maneat. Sed tamen. Conclusio est, vt transeat ad alia.

ORATIO.

III. CICERO. *ERGO hæc duo tempora carent crimine: vnum, cùm est Legatus profectus: alterum, cùm efflagitatus à prouincia, præpositus Africæ est. Tertium est tempus, quo post aduentum Vari in Africa restitit. Quod si est criminosum, necessitatis crimen est, non voluntatis. An ille, si potuisset illinc vllo modo euadere, Vticæ potius, quàm Romæ: cum P. Actio, quàm cũ concordissimis fratribus: cum alienis esse, quàm cum suis maluisset? cum ipsa Legatio plena desiderii ac solicitudinis fuisset propter incredi-*

credibilem quẽdam fratrum amorẽ, hic æquo animo esse potuit belli dissidio distractus à fratribus? Nullum igitur habes Cæsar adhuc in Q. Ligario signum alienæ à te voluntatis. Cuius ego causam, animaduerte quæso, qua fide defendam, cùm prodo meam.

NOTAE.

EFFLAGITATVS A PROVINCIA) id est, à prouincialibus. EFFLAGITATVS, autem esse videtur, flagitando impetratus. PATRIC.

NECESSITATIS CRIMEN EST) Ergo, mandante Varo illum in Africa conquiesse, non male legitur. Vide suprà n° 2. Aduentu Vari.

VTICAE POTIVS QVAM ROMAE) Addo receptum ex loco inferiore, ESSE MALVISSET.

CVM IPSA LEGATIO) Addo & præpono, ET, idq; ex fine præcedentis dictionis, MALVISSET. Sensus est. Potuitne hic æquo animo esse in bello, sine fratribus, qui in pacatissima legatione sua, fratrum desiderio conficiebatur?

DISTRACTVS A FRATRIBVS) Pro Marcello n° 1. Comite distracto.

ALIENAE A TE VOLVNTATIS) Fortassis tollendum, A TE, nam absque eo idem quod cum eo significat. Vel legendum, ALIENATAE. pro, ALIENAE A TE.

CVM PRODO MEAM) Statim pòst exponit quomodo prodat causam suam. Inquit enim post proximam periodum sic. M. Cicero, defendit alium in ea voluntate non fuisse, in qua seipsum confitetur fuisse.

ORATIO.

IV. CICERO.

O Clementiam admirabilem, atque omni laude, prædi-

prædicatione, literis, monimentísque decorandam. M. Cicero apud te defendit alium in ea voluntate non fuisse, in qua seipsum confitetur fuisse: nec tuas tacitas cogitationes extimescit: nec, quid tibi de alio audienti de seipso occurrat, reformidat. Vide, quàm non reformidem: vide, quanta lux liberalitatis & sapientiæ tuæ mihi apud te dicenti oboriatur: quantum potero, voce contendam, vt hoc populus Rom. exaudiat. Suscepto bello Cæsar, gesto etiam ex magna parte, nulla vi coactus, iudicio meo ac voluntate ad ea arma profectus sum, quæ erant sumpta contra te. Apud quem igitur hoc dico? nempe apud eum, qui, cùm hoc sciret, tamen me, antequam vidit, Reipub. reddidit: qui ad me ex ÆEgypto literas misit vt essem idem, qui fuissem: qui cùm ipse imperator in toto imperio populi Rom. vnus esset, esse me alterum passus est: à quo, hoc ipso C. Pansa mihi nuncium perferente, concessos fasces laureatos tenui, quoad tenendos putaui: qui mihi tum denique se salutem putauit reddere, si eam nullis spoliatam ornamentis redderet.

NOTAE.

PATRIC. IN EA VOLVNTATE NON FVISSE) Non dicit in ea factione, Hoc enim iam de Ligario confessus est. Sed ait, IN

VOLVN-

VOLVNTATE, Nam etsi Ligarius contra Cæsarem stetit, non voluntate id tamen factũ Ligarii est: sed necessitate ipsa expressum.

REFORMIDAT. VIDE QVAM NON REFORMIDEM) Scribo. REformidAT vide quàm non reformidem. Lego, REFORMIDAT. AT VIDE QVAM NON REFORMIDEM.

SVSCEPTO BELLO CAESAR) CAESAR, vocandi casu, iccirco etiam comatis includendum.

NVLLA VI COACTVS) Hoc dicit, quia Ligarium inuitum dixit remansisse in contrariis partibus.

ESSE ME ALTERVM PASSVS EST) Imperatorem scilicet. At quomodo? Concessis fascibus, vt mox scribit.

HOC IPSO PANSA MIHI NVNCIVM PERFERENTE) Gdy mi Pánsá te nowine przyniosł. HOC IPSO, autem, qui Ligariũ in Africa fuisse, ausus apud te est confiteri n° 1.

ORATIO.

V. CICERO.

VIde quæso Tubero, vt, qui de meo facto non dubitem dicere, de Ligarii non audeam confiteri. Atque hæc propterea de me dixi, vt mihi Tubero, cùm de se eadem dicerem, ignosceret. Cuius ego industriæ gloriæq; faueo, vel propter propinquam cognationem, vel quòd eius ingenio studiisq; delector, vel quòd laudem adolescentis propinqui existimo etiam ad meum aliquem fructum redundare. Sed hoc quæro, quis putet crimen esse, fuisse in Africa Ligarium? nempe is, qui & ipse in eadem Africa esse voluit, & prohibitum se à Ligario queritur, & certè contra ipsum Cæsarem est congressus armatus. Quid

enim Tubero, tuus ille districtus in acie Pharsalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum? quæ tua mens, oculi, manus, ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? nimis vrgeo; commoueri videtur adolescens: ad me reuertar.

NOTAE.

PATRIC. VIDE QVAESO, TVBERO, VT QVI DE MEO FACTO &c.) Coniungo. VT NON AVDEAM CONFITERI DE LIGARII FACTO, QVI DE MEO NON DVBITEM DICERE. VT, autem positum pro, quàm. Iam autem pro illo, QVI DE MEO FACTO: legat fortaſsis aliquis, QVOD DE MEO FACTO: vel potius, QVAE DE MEO FACTO. Sic enim statim. Atque hæc, inquit, propterea de me dixi: Illud autem, QVAE, intelligerem, voluntatem Ligarii ab armis contra Cæsarem abhorruiſſe, quod de seipsò orator paulò antè confeſſus est.

CVM DE SE EADEM DICEREM) DE SE, de Tuberone scilicet suprà n° 1. Vbi & de ipso & de patre eius. Vide autem mirum oratoris artificium, qui & vulneret quidem aduersarium, & tamen apud illum beneuolentiam captare videatur.

QVIS PVTET CRIMEN ESSE) F. QVIS PVTAT.

CONTRA IPSVM CAESAREM EST CONGRESSVS ARMATVS) Aliquid videndum. Nam inter cætera, congredi contra aliquem, videndum an vspiam legatur. Quid igitur si, CONGRESSVS, absit? quid si in, CONSPECTVS, mutetur? Vt sit, Conspectus est armatus, id est, visus est in armis contra ipsum Cæsarem. Quid, si quid aliud? Quid etiam si sic? CONTRA IPSVM CAESAREM AD CONGRESSVM ARMA TVLIT? vel potius. CONGRESSVRVS ARMA TVLIT. Infrà n° 9. Tulit arma contra te.

COMMOVERI VIDETVR ADOLESCENS) Tubero

bero scilicet. Atque etiam Cæsar ipse, vt est apud Quintilianum, magnopere verbis iisdem illis commotus fuisse fertur. cùm diceret Cicero, Quid enim Tubero, inquit, tuus ille in acie Pharsalica districtus gladius agebat &c. Et Plutarchus in vita Ciceronis scribit, ad hanc solam Pharsalicæ aciei mentionem, tam commotum fuisse Cæsarem, vt cùm prius dicis tantùm causa audire Ciceronẽ pro eo dicentem voluerit, ipsum Ligarium pro condemnato iam habuerit, hoc loco perturbatum corripuisse se, & schedas, quas tum fortè gerebat, abiecisse, & denique contrà quàm statuerat, reum absoluisse.

ORATIO.

VI. CICERO.

IIsdem in armis fui. Quid autem aliud egimus Tubero, nisi vt, quod hic potest, nos possemus? quorum igitur impunitas, Cæsar, tuæ clementiæ laus est, eorum ipsorum ad crudelitatem te acuet oratio? Atq; in hac causa nonnihil equidem Tubero etiam tuam, sed multò magis patris tui prudentiam desidero: quòd homo cùm ingenio, tum etiam doctrina excellens, genus hoc causæ quod esset, non viderit. Nam si vidisset, quouis profectò, quàm isto modo à te agi maluisset. Arguis fatentem: non est satis. Accusas eum, qui causam habet, aut, vt ego dico, meliorem quàm tu: aut, vt tu vis, parem. Hæc non modò mirabilia sunt, sed prodigiis similia, quæ dicam. Non habet eam vim ista accusatio, vt Q. Ligarius condemnetur, sed vt necetur. Hoc egit ciuis R. an-

te te nemo. Externi isti mores vsque ad sanguinem incitare solent odium aut leuium Græcorum, aut immanium barbarorum.

NOTAE.

PATRIC. QVOD HIC POtest) HIC, Cæsar scilicet qui rerũ potitur. NOS POSSEMVS) Rerum scilicet potiremur.

QVORVM IMPVNITAS TVAE CLEMENTIAE LAVS EST, EORVM ORATIO AD CRVDELITATEM TE ACVET) Quasi de se & de Tuberone vtrunq; : sed certè, alterum duntaxat, quod est, IMPVNITAS, de vtroque: alterum, quod est, ORATIO, de Tuberone tantùm ipso. Acutè planè & ingeniosè, & cum singulari dexteritate Nisi fortè sua etiam oratione acui dicat Cæsarem, contra Ligarium, ideo quòd ipsum in contraria Cæsari factione fuisse fateatur. Dicit igitur, sed callidè omninò. Etiamsi fortè in oratione mea aliquid eiusmodi sit, quod casu aliquo, contrà quàm cupiam, aduersus Ligarium te, o Cæsar, ad iracundiam concitet, id tamen profectò, à me sic dictum, Ligario nocere non debeat. Ita & de se modestè, & de aduersario leniter, & ad iudicem cautè, & pro reo vbique suppliciter loquitur.

HAEC NON MODO MIRABILIA SVNT, SED PRODIGIIS SIMILIA QVAE DICAM. NON HABET EAM) Aliquid videndum. Fortè sic. HAEC NON MODO MIRABILIA SVNT, SED QVAE DICAM PRODIGIIS SIMILIA. Hoc sensu. Non modò hæc quæ dixi mirabilia sunt, sed etiam illa quæ dicam, prodigiis sunt similia. Lambinus laudat veterem scripturam, PRODIGII SIMILE EST, QVOD DICAM.

NON HABET EAM VIM ISTA ACCVSATIO) Fortè. NON n. HABET. Quod est. NON ENIM HABET. Tale illud pro Marcello n° 14. Non n. fuit. Non enim fuit.

HOC EGIT CIVIS ROMANVS ANTE TE NEMO) Malim ferè, HOC MODO EGIT CIVIS ROMANVS

NVS ANTE TE NEMO. Nam paulò superius. Quouis profectò quàm isto modo à te agi maluisset. Et mox infrà n°7. Ne apud Dictatorem quidem quisquam egit isto modo. Sed relinquo, vt est. Sic enim statim. Nam quid aliud agis? Et in superiore exemplo. Istud ne apud Dictatorem quidem quisquam egit isto modo, Vtrumque videlicet coniungens.

EXTERNI ISTI MORES VSQVE AD SANGVINEM INCITARE SOLENT ODIVM AVT LEVIVM GRÆCORVM AVT IMMANIVM BARBARORVM) Significantius legeretur. EXTERNI ISTI MORES SVNT, QVI AD SANGVINEM INCITARE SOLENT ODIVM AVT LEVIVM GRAECORVM, AVT IMMANIVM BARBARORVM. Nimirum ex, VSQVE, facio, SVNT QVI. Quid autem si sic. EXTERNI ISTI MORES AVT LEVIVM GRAECORVM AVT IMMANIVM BARBARORVM SVNT, QVI AD SANGVINEM INCITARE ODIVM SOLENT. Lambinus, primùm ad oram librorum suorum addit, in vno manu scripto reperiri τὸ, SVNT. sed tamen cum VSQVE, Deinde in adnotationibus, laudat quatuor veterum cod. lectionem, INCITARI SOLENT ODIO. Atque in eo philosophatur. De, SVNT quod dat, accipimus: reliquũ aut nos pertexuimus, aut aliis relinquamus.

ORATIO.

Nam quid aliud agis? vt Romæ ne sit, vt domo careat, ne cum optimis fratribus, ne cum hoc T. Brocho auunculo suo, ne cum eius filio consobrino suo, ne nobiscum viuat? ne sit in patria? num in patria est? num potest magis carere his omnibus, quàm caret? Italia prohibetur, exulat. Non tu ergo hunc patria priuare, qua caret, sed vita vis. At istud VII. CICERO.

istud ne apud eum quidem Dictatorem, qui omnes, quos oderat, morte multabat, quisquam egit isto modo. Ipse iubebat occidi, nullo postulante: præmiis etiam inuitabat. Quæ tamen crudelitas ab hoc eodem aliquot annis pòst, quem tu nunc crudelem esse vis, vindicata est. Ego verò istud non postulo, inquies. Ita mehercule existimo Tubero. Noui enim te, noui patrem tuum, noui domum, noménq; vestrum: studia denique generis ac familiæ vestræ, virtutis, humanitatis, doctrinæ, plurimarum artium atque optimarum nota sunt mihi omnia.

NOTAE.

PATRIC. VT ROMAE NE SIT, VT DOMO CAREAT &c.) Hæc omnia, vsq; ad illud, NE SIT IN PATRIA, vel possunt ex Ciceronis persona interrogatiuè dici, vel ex persona Tuberonis, affirmanter. Quale illud mox. Ego verò istud non postulo.

CVM HOC T. BROCHO) qui cum fratribus Ligarii priuatim apud Cæsarem interposuit partes suas.

NVM IN PATRIA EST) Hæc à Cicerone ex sua persona dicuntur.

QVA CARET) Videndum an Ciceronis sit.

SED VITA VIS.) Eleganter monosyllabo conclusa periodus, atrocitatis plena. Hoc magis quòd dissillabum quoque quod proxime antecedit, sono ipso suo persimile monosyllabo ipsi sit VITA VIS. Quod quidem ipsum si præterea adiuuet manus ipsius actio, ad exemplū eius cōposita, qui dextræ suæ sursum inuersa palma, bis quasi ceruicem secare videatur, semel scilicet in verbo, VITA, iterum in verbo, VIS, valde, mea quidem sententia, energiæ plena redderetur periodus hæc tota.

APVD

APVD EVM DICTATOREM. QVI) de Sylla.

ISTVD) vel patria priuare, vel vita. Sed hoc potius.

ISTO MODO) vt ciuis Rom. non condemnetur, sed necetur: hoc autem est, vt indemnatus necetur.

IPSE IVBEBAT OCCIDI) Respondet quasi tacitæ obiectioni. Nonne multi indemnati à Sylla occisi sunt? Occisi, inquit, sed nemine accusante, multò minus vt eo modo agere quisquã debuerit. Quomodo igitur occisi? Iussu, respondet, ipsius Syllæ. Dicit autem, OCCIDI, id est, vt occideretur vnus, vel, occiderentur multi. Est enim verbum, nec persona definitum, nec numero.

NVLLO POSTVLANTE) accusante, aut in necem impellente. Atque hoc quidem, siue cum superiore iungas, IVBEBAT OCCIDI NVLLO POSTVLANTE: siue cum insequenti, NVLLO POSTVLANTE PRAEMIIS ETIAM INVITABAT, bene est. Sed cum superiore malo.

PRAEMIIS ETIAM INVITABAT) Non ad postulandum, sed ad occidendum.

AB HOC EODEM) A Cæsare.

ALIQVOT ANNIS POST, QVEM TV NVNC CRVDELEM ESSE VIS) Vel tria priora, vel bis tria posteriora verba, abundare videntur: vel certè posteriora prioribus sunt anteponenda. AB HOC EODEM, QVEM TV NVNC CRVDELEM ESSE VIS, ALIQVOT ANNIS POST VINDICATA EST.

VINDICATA EST) Nam exercenda de sicariis quæstione, eos quoque sicariorum numero habuit, qui ob aliquem proscriptum à Sylla interemptum, pecunias ex ærario, iussu Syllæ accepisset. Scribit Suetonius in eius vita.

ORATIO.

VIII. CICERO.

ITAq; certò scio, vos non petere sanguinem: sed parum attenditis: res enim eò spectat, vt ea pœna, in qua adhuc Q. Ligarius sit, non videamini

 esse

esse contenti. Quæ est igitur alia præter mortem? si enim in exilio est, sicuti est: quid amplius postulatis? ánne ignoscatur? hoc verò multò acerbius, multóq; est grauius. Quod nos domi petimus precibus & lachrymis prostrati ad pedes, non tam nostræ causæ fidentes, quàm huius humanitati: id ne impetremus, pugnabis, & in nostrum fletum irrumpes, & nos iacentes ad pedes supplicum voce prohibebis? Si cùm hoc domi faceremus, quod & fecimus, &, vt spero, non frustra fecimus, tu derepente irrupisses, & clamare cœpisses. C. Cæsar caue credas, caue ignoscas, caue te fratrum pro fratris salute obsecrantium misereat: nónne omnem humanitatem exuisses? quanto hoc durius, quod nos domi petimus, id à te in foro oppugnari, & in tali miseria multorum, perfugium misericordiæ tollere?

NOTAE.

PATRIC. PARVM ATTENDITIS) Non tam maleuolentia aut ignorantia, quàm imprudentia quadam, vt suprà dixit n° 6. Tuam & patris prudentiam desidero.

ANNE IGNOSCATVR) Tribus verbis. AN, NE IGNOSCATVR. An hoc, inquit, petitis, ne sit illi reditus & in gratiã Cæsaris, & in patriam. Adderem enim, E I, sic. AN NE EI IGNOSCATVR. Scriptum videlicet fuit. An, nEIgnoscatur.

QVOD NOS DOMI PETIMVS PRECIBVS ET LACHRYMIS) Legerem, PETIIMVS. Nam statim dicit, Si cum hoc domi faceremus, quod & fecimus, Scribe, petImus, habebis,

habebis, petiimus. Et planè sic Fabricius, teste Lambino: qui tamen ipse mauult deleri, DOMI. Manutius, vt nos.

NOS IACENTES AD PEDES SVPPLICVM VOCE PROHIBEBIS) PROHIBEBIS SVPPLICVM VOCE, id est, non permittes vti voce supplicum. Quid tamen si, MORE, pro, VOCE. vt referatur ad, iacentes supplicum. Sic. Nos ad pedes supplicum more iacentes, prohibebis, id est, iacere non permittes. Quid si etiam, SVPPLICES, pro, SVPPLICVM. extincto, vel non extincto verbo, VOCE. Extincto sic, Nos supplices iacentes ad pedes prohibebis, id est, non permittes ad pedes iacere? Vel non extincto sic. Nos supplices ad pedes iacentes, prohibebis voce, id est, non permittesnè vocem vllam emittere?

IRRVPISSES) Fortè, IRRVISSES. Sed modò etiam dixit, irrumpes. In nostrum fletum irrumpes. Nisi hic quoque, irrues, legas.

QVOD NOS DOMI PETIMVS ID A TE IN FORO OPPVGN.) Fortè, PETIIMVS, vt iam dixi. Sensus est, Durum esset, si tum, cùm hæc domi à Cæsare supplices peteremus, tu nos item domi à petitione prohibuisses, quanto igitur durius, id te in foro oppugnare, quod nos, vt consequeremur, non solùm domi multa fecimus, sed etiam, quod spero, confecimus. Sic enim suprà. Et, vt spero, non frustra fecimus.

IN MISERIA MVLTORVM PERFVGIVM MISERICORDIAE TOLLERE.) Propriè. Nam miseriæ debetur misericordia.

ORATIO.

DICAM planè C. Cæsar, quod sentio. Si in hac tanta tua fortuna lenitas tanta non esset, quantam tu per te, per te inquam, obtines (intelligo quid loquar) acerbissimo luctu redundaret ista victoria. IX. CICERO.

 Quàm

Quàm multi enim essent de victoribus, qui te crudelem esse vellent, cùm etiam de victis reperiantur? quàm multi, qui, cùm à te nemini ignosci vellent, impedirent clementiam tuam, cùm etiam ii, quibus ipse ignouisti, nolint te in alios eße misericordem? quòd si probare Cæsari possemus, in Africa Ligarium omnino non fuisse: si honesto & misericordi mendacio saluti ciuis calamitosi consultũ esse vellemus: tamen hominis non esset, in tanto discrimine & periculo ciuis refellere & coarguere nostrum mendacium: & si esset alicuius, eius certè non esset, qui in eadem causa & fortuna fuisset. Sed tamen aliud est errare Cæsarem nolle, aliud nolle misereri. Diceres, Cæsar caue credas: fuit in Africa Ligarius: tulit arma contra te. Nunc quid dicis? Caue ignoscas. Hæc nec hominis, nec ad hominem vox est. Qua qui apud te C. Cæsar vtetur, suam citius abiiciet humanitatem, quàm extorquebit tuam.

NOTAE.

PATRIC. INTELLIGO QVID LOQVAR) Scio enim à multis te ad sæuitiam & ferocitatem instigari.

CVM ETIAM DE VICTIS REPERIANTVR) qui te scilicet crudelem esse vellent. ἀπὸ κοινοῦ. Interdum tamẽ totum locum hunc legerem penè sic. QVAM MVLTI ENIM ESSENT DE VICTORIBVS, QVI TE CRVDELEM

LEM ESSE VELLENT, CVM ETIAM DE VICTIS REPERIANTVR, QVI A TE NEMINI IGNOSCI VELLENT? QVAM MVLTI IMPEDIRENT CLEMENTIAM TVAM, CVM ETIAM II, QVIBVS IPSE IGNOVISTI, NOLINT TE IN ALIOS ESSE MISERICORDEM? Vulgo tamen legitur sic. QVAM MVLTI E. E. D. V. Q. T. C. E. V. C. E. D. V. REPERIANTVR? QVAM MVLTI, QVI CVM A TE NEMINI IGNOSCI VELLENT, IMPEDIRENT CLEMENTIAM TVAM, CVM ETIAM &c. Non pessimè illud quidem, sed.

QVOD SI PROBARE CAESARI POSSEMVS) Fortassis. CAESAR, vocandi casu, & inter commata. Nam suprà. Dicam, C. Cæsar, quod sentio. Si in hac tua fortuna &c. Et infrà. Qui hac voce apud te, C. Cæsar, vtetur &c. Hoc primùm. Tum autem videndum quibusdam esse videbatur, an addita negatione legendum sit, QVOD SI PROBARE, CAESAR, NON POSSEMVS, IN AFRICA LIGARIVM OMNINO NON FVISSE, Et deinde. SED HONESTO ET MISERICORDI MENDACIO &c. pro, SI HONESTO ET MISER. Sed hoc nihil est, aut certè momenti perexigui. Illud maioris aliquanto: videndum, an illa duo verba, ET MISERICORDI, sint aliunde assuta.

ET SI ESSET ALICVIVS) subaudi, hominis.

SED TAMEN ALIVD EST) pro, SED, legerem, ET, duobus modò punctis præpositis: & pro, EST, ESSET. Sic, ET TAMEN ALIVD ESSET. Sensus est. Non deberes etiam tunc impedire clementiam Cæsaris: Et tamen tunc quidē aliquam excusationē honestam haberes, te id facere, vt errorem Cæsari eripias. Nunc autem, cùm nullo apud eum mendacio vtor, sed in Africa Ligariū fuisse confiteor, misericordiam modò victoris imploro, insultabis ne tu vitæ ciuis calamitosi? Dicit igitur. ALIVD ESSET, ERRARE CAESAREM NOLLE, ALIVD NOLLE MISERERI. Quasi tu dicas. Aliud esset, apud Cæsarem nō sinere vti mendacio, aliud, non permittere eum misereri.

DICERES) i. dicere posses, tunc, cum mendacio aliquo salutem ciui misero quæreremus, DICERES, autem vel tu Tubero, vel alius quispiam, qui vellet coarguere nostrum mendacium, & dice-

& diceres quidem honestè, & ad ingenium boni viri ac Cæsaris amici, peraccommodatè.

NVNC QVID DICIS) Malim. NVNC CVM DICIS. Sine interrogationis nota.

VTETVR) Rectius, VTITVR. vt propriè in Tuberonem contorqueri videatur. Nec obstat quod statim sequitur, ABIICIET, &, EXTORQVEBIT: in futuro. Eleganter enim hæc ita dicuntur. Si das, accipiam. Si venis, cœnabimus.

QVAM EXTORQVEBIT TVAM) EXTORQVEBIT, non significat, per vim eliciet, quod ferè aliàs significat, sed, auferet, & eripiet.

ORATIO.

X. CICERO. *AC primus aditus, & postulatio Tuberonis hæc, vt opinor, fuit, velle se de Q. Ligarii scelere dicere. Non dubito, quin admiratus sis: vel quòd de nullo alio quisquam: vel quòd is, qui in eadem causa fuisset: vel quidnam noui facinoris afferret. Scelus tu illud vocas Tubero? cur? isto enim nomine illa adhuc causa caruit. Alii errorem appellant, alii timorem: qui durius, spem, cupiditatem, odium, pertinaciam: qui grauissimè, temeritatem: scelus, præter te, adhuc nemo. Ac mihi quidem, si proprium & verum nomen nostri mali quæratur, fatalis quædã calamitas incidisse videtur, & improuidas hominũ mentes occupauisse: vt nemo mirari debeat humana consilia, diuina necessitate esse superata.*

NO-

NOTAE.

AC PRIMVS ADITVS) Fortè, AT, pro, AC. Et sic in suo Manutius.

VEL QVOD DE NVLLO ALIO QVISQVAM) Subaudi, diceret, scelus illum admisisse, in eo, quòd à te non steterit. DE NVLLO autem, cum dicit, intelligit, de nullo ex iis, qui cum Pompeio sentiebant. Quid si DE NVLLO ALIO QVOQVAM, vel QVOPIAM. Intellige, præterquam de Ligario, vellet dicere Tubero. Et hoc planè mallem.

VEL QVIDNAM NOVI FACINORIS AFFERRET) Tunc, inquit, cùm in primo aditu & postulatione sua diceret Tubero, VELLE SE DE Q. LIGARII SCELERE DICERE, non dubito quin miratus sis, quidnam afferret facinoris noui. NOVI, autem, cùm dicit, respicere videtur ad suum illud, quo hanc suam pro Ligario exorsus est defensionem. NOVVM, INQVIT, CRIMEN &c. FACINORIS, ferè delerem, vel si quis refragaretur, etiam relinquerem: vel deniq;, quod in quibusdam veteribus Lambinus scribit se reperisse, in, SCELERIS, commutarem.

ISTO ENIM NOMINE) Non est responsio ad interrogationem, sed maior etiam instantia quædam.

FATALIS QVAEDAM NECESSITAS) Pro Marcello nº 18. Miserum fataleq; bellum appellat.

DIVINA NECESSITATE ESSE SVPERATA) DIVINA NECESSITATE, illius scilicet fatalis calamitatis, cui ingenia humana cedere erat necesse.

ORATIO.

XI. CICERO.

LICeat esse miseros, quanquam hoc victore esse non possumus. Sed non loquor, de nobis: de illis loquor, qui occiderunt. Fuerint cupidi, fuerint irati, fu-

ti, fuerint pertinaces: ſceleris verò crimine, furoris, parricidii liceat Cn. Pompeio mortuo, liceat multis aliis carere. Quando hoc quiſquã ex te Cæſar audiuit, aut tua quid aliud arma voluerunt, niſi à te contumeliam propulſare? quid egit tuus ille inuictus exercitus, niſi vt ſuum ius tueretur & dignitatem tuam? quid? tu cùm pacem eſſe cupiebas, idne agebas, vt tibi cum ſceleratis, an vt cum bonis ciuibus conueniret? Mihi verò Cæſar tua in me maxima merita tanta certè non viderentur, ſi me vt ſceleratum à te conſeruatũ putarem. Quomodo autem tu de Repub. bene meritus eſſes, ſi tot ſceleratos incolumi dignitate eſſe voluiſſes? ſeceſſionẽ tu illam exiſtimauiſti Cæſar initio, non bellum: non hoſtile odium, ſed ciuile diſſidium, vtriſque cupientibus Remp. ſaluam, ſed partim conſiliis, partim ſtudiis à communi vtilitate aberrantibus.

NOTAE.

PATRIC. LICEAT ESSE MISEROS) nos ſcilicet qui à Cæſare diſſentiebamus. LICEAT ESSE. Juz niechay bedziemy.

HOC VICTORE) Cæſare

ESSE NON POSSVMVS) miſeri ſcilicet.

FVERINT CVPIDI) Liceat, inquit, appellare eos cupidos, iratos, pertinaces. Juz niech bedą.

SCELERIS VERO CRIMINE, FVRORIS, PARICIDII, LICEAT CN. POMPEIO MORTVO CARE-

CARERE) Emphasis in singulis penè verbis. Nam & crimina, grauia sunt, & grauiora, si in magnos viros conferantur, & grauissima, si in mortuos. Cn. autem Pompeium inter alios præcipuè nominat, quòd memoria eius potentiæ & auctoritatis tanta esset, vt leuissma etiam in eum aliquis conferre vereretur, nedum vt auderet hæc tanta.

QVANDO HOC QVISQVAM EX TE CAESAR AVDIVIT) HOC, crimen scilicet sceleris, furoris, paricidii, versari in hac causa.

NISI A TE CONTVMELIAM PROPVLSARE.) Non eam aliis imponere. Tale illud statim. Nisi vt ius suum tueretur. Hoc est, non vt aliorum ius euerteret.

CVM PACEM ESSE CVPIEBAS.) ESSE, potest hinc abesse. Tempus autem illud designat, cùm is ad Pompeium pacis conditiones mitteret.

VT CVM BONIS CIVIBVS CONVENIRET) Cum quibus igitur tibi conuenit, eos non scelestos, sed bonos viros existimari voluisti.

TVA IN ME MERITA) Statim. Quomodo tu de repub. meritus esses. Ergo merita, & in pares sunt, & in inferiores, & in maiores.

NON HOSTILE ODIVM SED CIVILE DISSIDIVM) Sic in ea pro Marcello nº 8. Non ille hostes in curiam induxit &c. Hoc autem est, vt nos legimus. Non ille hostes in curia esse duxit.

VTRISQ. CVPIENTIBVS) Sensus non eiusmodi dissidium tu illud esse existimauisti, vt alterutra pars nostrum interire rempub. voluerimus, sed potius, vt ad salutem ipsius, diuersis itineribus vtrisque nobis contendendum esse putaremus.

PARTIM CONSILIIS, PARTIM STVDIIS) Illud, propter aliquam speciem boni, hoc, propter alterutrius partis amicitiam & fauorem.

A COMMVNI VTILITATE ABERRANTIBVS) Vtrisqúene aberrantibus? non puto. Sic enim ipsum quoq; vituperaret Cæsarem, quem hoc loco laudare instituit. Ad contrariam igitur Cæsari factionem hanc aberrationem referemus? Verùm id quidem inuita ac renitente Ciceronis oratione fecerimus. Planè enim loquitur: VTRISQVE BENE REIP. CVPIEN-

TIBVS, SED ABERRANTIBVS. Quid igitur dicemus? Dicemus planè: Aberrantibus vtrisq; à communi vtilitate, sed diuersa ratione. Nonnulli enim, & quidem ex vtraq; parte, ABERRABANT A COMMVNI VTILITATE, CONSILIIS, vt hic ait. Cuiusmodi sanè fuerunt illi, qui bellum paci præferebant, &, vt alibi inquit, pugnare cupiebant. Nonnulli autem ex vtraque item parte, ABERRABANT AB EADEM ILLA COMMVNI VTILITATE, STVDIIS, quòd videlicet, partibus suis nimium addicti essent. Sed vtroq; modo, inquies, Cæsar, vituperabitur? Respondeo. Cùm de factionibus sermo est, non oportere ea quæ dicuntur, de singulis, qui in factione sunt, confirmari, satis esse, in aliquibus inueniri. Tum autem, quod dicitur de iis, qui principes ipsos factionū secuti sunt, id etiam de principibus ipsis intelligi oportere, non est necesse.

ORATIO.

XII. CICERO. *PRincipum dignitas erat penè par: non par fortasse eorum qui sequebantur: causa tum dubia, quòd erat aliquid in vtraq; parte quod probari posset. Nunc melior certè ea iudicanda est, quā etiam dii adiuuerunt. Cognita verò clementia tua, quis non eam victoriam probet, in qua occiderit nemo, nisi armatus? Sed vt omittam communem causam, veniamus ad nostram. Vtrum tandem existimas facilius fuisse Tubero, Ligarium ex Africa exire, an vos in Africam non venire? Poteramusné, inquies, cùm Senatus censuisset? si me consulis, nullo modo. Sed tamen Ligarium Senatus idem legauerat. Atq;*

ille

ille eo tempore paruit, cùm parere Senatui necesse erat: vos tunc paruistis, cùm paruit nemo, qui noluit. Reprehendo igitur? minimè verò, neque enim licuit aliter vestro generi, nomini, familiæ, disciplinæ. Sed hoc non concedo, vt quibus rebus gloriemini in vobis, easdem in aliis reprehendatis.

NOTAE.

PRINCIPVM DIGNITAS) Vestra scilicet duorum, tua, ô Cæsar, & Pompeii. PATRIC.

NON PAR FORTASSE EORVM QVI SEQVEBANTVR) QVI SEQVEBANTVR, vos duos scilicet, & vestras singulorum factiones. NON PAR, autem, quia cum Pompeio plures erant magistratus, aut ii qui fuissent olim in magistratu. Dicit autem, FORTASSE, ne offendat Cæsarem, si eos qui ipsum sequebantur, inferiores esse Pompeianis planè diceret. Quanquam ita quidem vt hic loquitur, non exprimit vtros vtris impares fuisse arbitretur.

ALIQVID QVOD PROBARI POSSET) Adderem propemodum, ET IMPROBARI. Sic, QVOD PROBARI ET IMPROBARI POSSET. Sed hoc tamen, etiam non additum, satis intelligitur ex iis quæ dicuntur.

NVNC MELIOR CERTE EA IVDICANDA EST, QVAM ETIAM DII ADIVVERVNT) Ex quo est illud Lucani.

Victrix causa deis placuit.

His autem verbis dicit hic Orator, idem illud, quod apud Liuium lib. 21. dicitur. Euentum belli æquum iudicem esse. Vide quæ nos diximus ibidem. Et illud pro Flacco apud nostrum n° 54. Quàm chara diis immortalibus gens Iudæorum fuerit, ostendit, cum victa seruata est.

COGNITA VERO CLEMENTIA TVA, QVIS

NON EAM VICTORIAM PROBET, IN QVA OCCIDERIT NEMO, NISI ARMATVS) Videndum quò hæc pertineãt. Existimauerim sanè pertinere, vel ad illa, quæ paulò antè præcesserunt. Quando hæc quisquam ex te audiuit? Et item. Quomodo tu de repub. bene meritus esses? Hoc sensu. Nunquam tu asperius factum illud nostrũ appellasti, ne tum quidem, cùm nos armis persequerere, ne tum etiã quidem, cùm nos in gratiam reciperes & conseruares. Nunc autem, cùm omnes in tua victoria, participes clementiæ tuæ, acquiescimus, quid est cur dubitemus, factũ nostrum, non tam atrox tibi videri, vt sceleris appellationem mereatur? Hoc primùm. Vel iam ad illud, quod proximè præcessit, putarẽ pertinere, cùm dixit. Nunc melior certè ea iudicanda est, quàm etiam dii adiuuerunt. Hoc sensu. Olim quidem, quod hominibus erat dubium, dii ipsi causam tuam iustiorem esse iudicauerunt, cùm tibi victoriam concesserunt: nunc autem, cùm in nobis tanta clementiæ tuæ indicia appareant, quis victoriam illam non laudet, & non amplectatur? Et hoc mallem.

SED VT OMITTAM COMMVNEM CAVSAM, VENIAMVS AD NOSTRAM) COMMVNEM, vtriusque nostrum, qui alterutras partes in ciuili dissensione secuti sumus. AD NOSTRAM, mihi tecum iudicialiter constitutam, in hac tua & Ligarii contentione. Atq; hic quidem locus vniuersus, præcipuus mihi esse videtur huius orationis, in quo orator omnes neruos contendat artificii & eloquentiæ suæ, & cuius gratia dixerit, cùm alia quædam, tum illa vel maximè n° 6. In hac causa, inquit, & tuam Tubero, & patris tui prudentiam desidero. Et statim initio. Prius de vestro tu & pater tuus delicto confiteamini necesse est, quàm Ligarii culpam vllam reprehendatis. Vrget enim maximè hoc loco aduersarium, nec eum aduersus tam clara non optimi erga Cæsarem animi indicia, hiscere quasi permittit. Ad hoc autem tam atrox & tam violentum prælium, lentissimè ingreditur, vt & facilius reo opituletur, & iudicem sibi conciliet, & aduersarium nec opinantem opprimat, ac validius etiam feriat, si recens quasi & minime defatigatus, ad vulnus inimico infligendum accedat: & hæc tamen omnia faciat, animo minimè perturbato, nec aduersario perirato.

POTERAMVSNE, INQVIES) Subaudi, in Africam non venire?

CVM

CVM SENATVS CENSVISSET) nos ſcilicet venire debere.

NVLLO MODO) ſubaudi, poteratis non venire.

SENATVS IDEM) Malim ITEM, id autem eſt, eodem modo.

EO TEMPORE PARVIT) Senatui ſe leganti.

CVM PARERE SENATVI NECESSE ERAT) Cùm etiamtum integra eſſet Senatus auctoritas, inſolentiis bellorum ciuilium nondum debilitata.

REPREHENDO IGITVR) factum ſcilicet veſtrum, quòd in Africam iueritis.

QVIBVS REBVS GLORIAMINI IN VOBIS) cùm dicitis ſcilicet, vos Senatui paruiſse, & in Africam veniſse.

EASDEM IN ALIIS REPREHENDATIS) maximè autẽ in Ligario, quòd is Senatui paruerit, & in Africam iuerit.

ORATIO.

Tuberonis ſors coniecta eſt ex S. C. cùm ipſe nõ adeſſet, morbo etiam impediretur: ſtatuerat ſe excuſare. Hæc ego noui propter communes neceſſitudines, quæ mihi ſunt cum L. Tuberone: domi vnà eruditi, militiæ contubernales, pòſt affines, in omni denique vita familiares: magnum etiam vinculum, quòd iisdem ſemper ſtudiis vſi ſumus. Scio igitur Tuberonẽ domi manere voluiſſe: ſed ita quidam agebant. ita Reip. ſanctiſſimum nomen opponebant, vt etiam ſi aliter ſentiret, verborum tamen ipſorum pondus ſuſtinere non poſſet. Ceſſit auctoritati ampliſſimi viri, vel potius paruit: vnà eſt profectus XIII. CICERO.

cum iis, quorum erat vna causa: tardius iter fecit. Itaque in Africam venit iam occupatam. Hinc in Ligarium crimen oritur, vel ira potius. Nam si crimen est prohibere illum voluisse, non minus magnū est, vos Africam, omnium prouinciarum arcem, natam ad bellum contra hanc vrbem gerendum, obtinere voluisse, quàm aliquem se imperatorem esse maluisse. Atque is tamen aliquis Ligarius non fuit.

NOTAE.

PATRIC. TVBERONIS SORS) patris tui, cùm ex S. C. sortitus esset Africam.

CVM IPSE NON ADESSET) Tubero.

MORBO ETIAM IMPEDIRETVR: STATVERAT SE EXCVSARE) Fortaſsis melius. MORBO ETIAM IMPEDITVS. (vel, MORBO ETIAM IMPEDIENTE) STATVERAT SE EXCVSARE.

DOMI VNA ERVDITI) ſub. fuimus, & ſic in iis quæ ſequuntur. Niſi fortè quis malit referre ad illud, SVMVS, quod ſequitur. Quod quidem mihi non planè ſatisfacit.

ITA QVIDAM AGEBANT) cum eo ſcilicet loquebantur. Lamb. VRGEBANT, vel, ARGVEBANT.

VERBORVM IPSORVM) IPSORVM, non verborum: ſed eorum qui verbis illis ad eum vtebantur.

CESSIT AVCTORITATI VEL POTIVS PARVIT) Vide quæ diximus in notis noſtris in epiſtolam 20. lib. 11. Att.

VNA EST PROFECTVS CVM IIS, QVORVM ERAT VNA CAVSA) VNA CAVSA, non ſimpliciter. Nam & ab vna parte Cæſarianorum, & ab altera Pompeianorum, vna fuit cauſa. Sed, CAVSA VNA, intelligo, ſecum, ſcilicet

Hoc.

Hoc autem est. Quorum causa erat vna secum. Quasi diceret. Cum iis profectus est, cum quibus ipse in causa consentiebat. Nimirum, cum iis in societatem belli venerat, quorum auctoritatem sequebatur. Vt mox dicet. Quid, si? QVORVM ERAT IN VNA CAVSA. Vel simpliciter, QVORVM ERAT IN CAVSA. Sic infrà n°. 17. Languidiore studio in causa fuistis. Et or. pro M. Marcello n°. 1. Qui in eadem causa in qua ego fuisset.

HINC IN LIGARIVM CRIMEN ORITVR) Pro Rabir. Post. n° 4. Hinc primum exoritur crimen illud. HINC, autem significat hoc loco, quia scilicet receptus non esset in Africã.

IAM OCCVPATAM) Ab actio Varo. Cæs. lib. 1.

SI CRIMEN EST PROHIBERE ILLVM VOLVISSE, NON MINVS MAGNVM EST) Si crimini, inquit, datis Ligario, quòd vos Africa prohibere voluerit, nihilominus eodem vos atque etiam pari condemnabo crimine, quòd vos eam obtinere voluistis. Ergo, NON MINVS MAGNVM EST, crimen, subaudio. Atque hic iam ferire aduersarium incipit, cùm hactenus parcere ei videretur. Dum autem hunc incipit ferire, ante omnia reum ipsum tuetur ac defendit, & in tuto quasi collocat, cùm dicit. Ligarium in culpa non fuisse, cùm Tuberonis pater Africa prohiberetur.

NATAM AD BELLVM CONTRA HANC VRBEM GERENDVM) Quod quidem vel maximè patuit, tot & tam atrocibus bellis Punicis.

SE IMPERATOREM MALVISSE) SE, seipsum scilicet, quàm quenquam alium.

ATQVE IS TAMEN ALIQVIS) qui se scilicet imperatorem esse maluit.

NON FVIT LIGARIVS) Sed, vt statim loquitur, fuit Varus.

ORATIO.

Varus imperium se habere dicebat: fasces certè habebat. Sed quoquo modo sese illud habet, hæc quere- XIII. CICERO.

querela vestra Tubero quid valet? recepti in prouinciam non sumus. Quid si essetis? Cæsarine eam tradituri fuißetis, an contra eum retenturi? vide, quid licentiæ Cæsar nobis tua liberalitas det, vel potius audaciæ. Si responderit Tubero, Africam, quo Senatus eum sorsqúe miserat, tibi patrem suum traditurum fuisse: non dubitabo apud ipsum te, cuius id eum facere interfuit, grauissimis verbis eius consilium reprehendere. Non enim si tibi ea res grata fuisset, esset etiam probata. Sed iam hoc totum omitto, non tam vt ne offendam tuas patientissimas aures, quàm ne Tubero, quod nunquam cogitauit, facturus fuisse videatur.

NOTAE.

PATRIC. SED QVOQVO MODO) Iam cominus gerere rem incipit.

QVID SI ESSETIS) recepti scilicet.

VIDE QVID LICENTIAE CAESAR) Semper iudicis animum in beneuolentia erga se & reum ipsum studet conseruare. Dicit autem. Si pro te aliquid se facturum fuisse aduersarius dixerit, apud te ipsum grauissimè eum accusare non verebor. Hoc autē facit callidè. Sciebat enim, id dici ab aduersario non potuisse: &, si dictum fuisset, redarguisset potius vt falsum, quàm vt malè factum reprehendisset. Atque iccirco quidem statim aliò desilit, & se hoc totum omittere iam, inquit.

QVO SENATVS EVM) EVM, non ipsum qui respondet, sed patrem suum, quod statim sequitur.

CVIVS ID EVM FACERE INTERFVIT) CV-

IVS. Tua ſcilicet. Tuis enim tunc vtilitatibus ſeruitum fuiſſet. EVM, autem intelligo Tuberonem.

ESSET ETIAM PROBATA) Cui probata? Omnibuſne in genere? Ita certè quidem. Non enim ſtatim quod Cæſari conduceret, id à cunctis etiam eſſet approbatum. Sed hoc tamen apud Cæſarem tunc dicere, cùm is rerum potiretur, alienum profectò à laude prudẽtis oratoris videretur. Ergo, ESSET PROBATA, ſubaudiendum, tibi ipſi Cæſari. Non continuò, inquit, quod tibi vtile, idem etiam probatum tibi ipſi videretur. Sed orator, dum hoc ambiguè eloquitur, primùm prudentiæ opinionem ſibi comparat, deinde autem, in altero quidem ſenſu, ad veritatem loquitur, in altero, ad Cæſaris fauorem.

SED IAM HOC TOTVM OMITTO) Suprà dixit. Vt cõmunem cauſam omittam. Deinde. Sed quoquo modo ſe illud habet. Hic. Sed iam hoc totũ omitto, inquit. Prius communia omiſit. Tum de propriis loquens, leuiora omittit. Poſtremò ea etiam, quæ videbantur grauiora. Quid reſtat igitur, niſi vt proferat grauiſsima? Me verò in omnibus meis per omnem vitam actionibus, ſemper illud in controuerſiis exponendis maximè ſolicitum habebat, & maximè attentum, ad rationem defenſionis, diligenter meditandam faciebat, cùm prudens & dicendi peritus accuſator, hæc & illa omittere ſe in cauſa, inquiebat. Grauant enim profectò hæc maximè reſpondentem, & cùm eum, qui ea proponat, magnũ virum, ac liberali ingenio præditum, videri faciunt, tum defenſorem, quod caput eſt, & intelligentem, & acutum, & memorem, &, vt nunc loquimur, vrbanum planè & in agendis cauſis ac gerendis rebus verſatum requirunt.

NON TAM VT NE OFFENDAM TVAS PATIENTISSIMAS AVRES) quanquam & hoc quidem. Ingrata enim prorſus hæc erat Cæſari futura oratio, ſi intelligeretur, non omnia ſiue à cæteris, ſiue ab ipſo illo probari, quæ in ipſius gratiam fierent & agerentur. Ergo & hoc quidem verum dicit, offenſum iri aures Cæſaris, eiuſmodi commemorandis rebus, quod ipſum quoque per ſe magnum erat: ſed noſter in eo non acquieſcit, & maximo cum artificio, maius etiam quiddam affert, & longè acutius. QVAM NE TVBERO &c. inquit.

QVOD NVNQVAM COGITAVIT) Id, ſcilicet quod nunquam cogitauit.

ORATIO.

XV. CICERO. *VEniebatis igitur in Africam, prouinciā vnam ex omnibus huic victoriæ maximè infestam, in qua erat rex potentissimus, inimicus huic causæ, aliena voluntas, conuentus firmi atq; magni. Quæro, quid facturi fuissetis? quanquam quid facturi fueritis, non dubitem, cùm videam, quid feceritis. Prohibiti estis in prouincia vestra pedem ponere, & prohibiti, vt perhibetis, summa cum iniuria. Quo modo id tulistis? acceptæ iniuriæ querelam ad quem detulistis? nempe ad eum, cuius auctoritatem secuti in societatem belli veneratis. Quòd si Cæsaris causa in prouinciam veniebatis, ad eum profectò exclusi prouincia venissetis. Venistis ad Pompeium. Quæ est ergo apud Cæsarem querela, cùm eum accusetis, à quo queramini vos prohibitos contra Cæsarem bellum gerere? atq; in hoc quidē vel cum mendacio, si vultis, gloriari per me licet, vos prouinciā fuisse Cæsari tradituros, etiam si à Varo & quibusdam aliis prohibiti essetis. Ego autem confitebor culpam esse Ligarii, qui vos tantæ laudis occasione priuauerit.*

NOTAE.

PATRIC. HVIC VICTORIAE) per Cæsarem partæ, Quanquam videndum

videndum ne legendum sit, HVIVS, Vt intelligatur, Cæsaris. Sic mox, Inimicus huius causæ, potius quàm, huic causæ. Pro INIMICVS, autem quoq; scriberem, INIMICISS. Vt modò de rege eodem POTENTISSIMVS.

ALIENA VOLVNTAS, CONVENTVS FIRMI ATQVE MAGNI) ALIENA VOLVNTAS. Cuius? Africæ videlicet ipsius. Hoc autem est, Omnium qui Africam scilicet incolebant. Sed auget rem, cùm absolutè & præcisè loquitur, non homines ibi fuisse aliena voluntate, non terram ipsam alienæ voluntatis, sed ipsam alienam voluntatem. Quanquam ego quidẽ propemodũ legerẽ sic: ALIENA VOLVNTATE CONVENTVS FIRMI. Vt significet, non tam in priuatis hominibus indicia extitisse alienæ volũtatis à Cæsare, quàm in conuentibus ipsis hominum. At in qualibus conuentibus? num in solitariis, aut in imbecillis? Respondet, conuentus illos fuisse & FIRMOS, ne quis putet animis & voluntatibus fluctuabundos, & MAGNOS, vt significet fuisse frequentissimos.

QVÆRO QVID FACTVRI FVISSETIS) Atqui hoc iam se omittere velle dixerat. Sed hoc scilicet artis est, primùm quasi omittere quæ institeras, deinde vrgere eadẽ illa rationibus quidẽ diuersis, & eo tempore, cùm iam videreris aliò transiturus fuisse.

QVID FACTVRI FVERITIS NON DVBITO, CVM VIDEAM QVID FECERITIS) Plusquam manifestum animi & voluntatis indicium est, factum ipsum, quod apparet: cùm voluntas magna interim latebrarum obscuritate sit inuoluta.

IN PROVINCIA) in Africa.

NEMPE AD EVM) Respondet ipse pro ipsis: vel non tam respondet quàm ostendit, quod necessario respondendum ipsis fuerit, si rei ipsi consentanea voluissent respondere.

VENISTIS AD POMPEIVM) Atque hoc est illud βιάιον, quod maximè torquet & cruciat aduersarium. Meritò igitur statim infert. Quæ est ergo apud Cæsarem querela vestra, cum &c. Videtur autem totum illud bis esse repetendum. VENISTIS AD POMPEIVM, VENISTIS AD POMPEIVM. Non ad Cæsarem videlicet, ad quem venire debueratis, si eius auctoritatem secuti ad bellum veniebatis.

QVAE EST IGITVR APVD CÆSAREM QVE-

RELA, CVM EVM ACCVSETIS, A QVO QVERAMINI VOS PROHIBITOS CONTRA CÆSAREM BELLVM GERERE.) Hic est fortissimus ille aries, qui causam aduersariorum euertit.

ATQVE IN HOC QVIDEM) Tantum & tam violentum telum in aduersarium contorsisse se intelligit, vt culpam etiam rei velit agnoscere & fateri, si id, quod in se vibratum & contortum est, aduersarius vlla ratione retundere posse videatur.

GLORIARI PER ME LICET) VOBIS, adderem, vel supplerem. Et sic Lambinus.

ETIAMSI A VARO) Legerem. NISI A VARO. Hoc magis quòd alicubi sit, ETSI A VARO.

QVI VOS TANTAE LAVDIS OCCASIONE PRIVAVERIT) Inuidiosissimè, & quidem ex illorum persona. Est autem artificiosissima ironia. Ironia quidem, quòd, cuius eos vel maximè pudere debeat, id illi in maxima scilicet laude ducant: illusisse Cæsari, & cum eius inimico coiuisse. Artificium autem, quòd cùm ipsi, Varum tantùm & quosdam alios, in illa sui ab Africa prohibitione, accusarent, Ligarium suspitione tantùm, idq; etiam leuissima aspergerent, noster tamen, ipsum etiam Ligarium, non diffiteatur, se esse ad illius facti societatem vltrò aggregaturum: vt ita optimè sibi esse conscium demonstret, si modò illi ostendere queant, se in Africam, Cæsaris potius quàm Pompeii causa, tum temporis venisse. Ergo, TANTAE LAVDIS, vt vos quidem prætexitis, re autem vera tantæ vestræ turpitudinis, qui vos verbo, Africam Cæsari tradituros fuisse ostenditis, re, ad Pompeium vos eam delaturos fuisse, manifestissimè demonstratis. Quod est sceleris & simulationis vestræ summæ.

ORATIO.

XVI. CICERO. *SED vide quæso C. Cæsar constantiam ornatissimi viri L. Tuberonis: quam ego, quamuis ipse probarem, vt probo, tamen non commemorarem,*

nisi

nisi à te cognouissem inprimis eam virtutem solere laudari. Quæ fuit igitur vnquam in vllo homine tanta constantia? constantiam dico: nescio an melius patientiam possem dicere. Quotus enim istud quisq; fecisset, vt à quibus partibus in dissensione ciuili nõ esset receptus, essétq; etiam cum crudelitate eiectus, ad eas ipsas rediret? magni cuiusdam animi atque eius viri est, quem de suscepta causa propositáq; sententia, nulla contumelia, nulla vis, nullum periculum posset depellere. Vt enim cetera paria Tuberoni cum Varo fuissent, honos, nobilitas, splendor, ingenium, quæ nequaquã fuerunt: hoc certè præcipuum Tuberonis fuit, quòd iusto cum imperio, ex S. C. in prouinciam suam venerat. Hinc prohibitus, non ad Cæsarem, ne iratus: non domum, ne iners: non aliquam in regionem, ne condemnare causam illam, quam secutus esset, videretur: in Macedoniam, in Cn. Pompeii castra venit, in eam ipsam causam, à qua erat reiectus cum iniuria.

NOTAE.

CONSTANTIAM ORNATISSIMI VIRI) Ironia. Leuitatem enim notat viri honoris sui negligentissimi, & omninò inertissimi. PATRIC.

AN MELIVS PATIENTIAM) & stuporem, iʒ sye nieczuie.

ESSETQVE ETIAM) Fortè. ESSET VERO ETIAM. Auget enim id quod modò dixerat. NON RECEPTVS.

MAGNI CVIVSDAM ANIMI) Vbique ironicῶs. Adderem autem ferè, ID, Magni cuiusdam animi id atq; eius viri est.

QVAE NEQVAQVAM FVERVNT.) Inferior enim Varus illo fuit, iis omnibus.

PRAECIPVVM TVBERONIS FVIT) quo ipse Varum ipsum anteibat.

IVSTO CVM IMPERIO) IVSTO, legitimo, quia ex S. C. vt mox explicat. Non ex clamore multitudinis inconditæ, vt suprà dixit n° 2. Cùm autem iustum imperium appellat, blanditur manifestò Cæsari. Alioqui suprà dixit n° 12 Senatum tunc temporis legitimum quasi non fuisse, cui pareret nemo nolens.

NON AD CÆSAREM, NE IRATVS, NON DOMVM, NE INERS) Omnia ironicè. Irasci enim profectò debuit, quòd excluderetur, & multo maiorem inertiam existimare, ad eos ire, à quibus pulsus esset, quàm domum ipsam suam.

IN MACEDONIAM, IN CN. POMPEII CASTRA, IN EAM IPSAM CAVSAM) Hæc quidem quot sunt verba, tot sunt vulnera, animo aduersarii inflicta. Quanquam τὸ, IN EAM IPSAM CAVSAM, videndum esse puto.

ORATIO.

XVII. CICERO. *QVID? cum ista res nihil commouisset eius animum, ad quem veneratis: languidiore, credo, studio in causa fuistis. Tantummodo in præsidiis eratis: animi verò à causa abhorrebant. An, vt fit in ciuilibus bellis, nec in vobis magis, quàm in reliquis, omnes vincendi studio tenebamur? Pacis equidem semper auctor fui, sed tum serò: erat enim amentis, cùm aciem videres, pacē cogitare. Omnes,*

inquam,

inquam, vincere volebamus: tu certè præcipuè, qui in eum locum venisses, vbi tibi esset pereundum, nisi vicisses: quanquam, vt nunc se res habet, non dubito quin hanc salutē anteponas illi victoriæ. Hæc ego non dicerem Tubero, si aut vos constantiæ vestræ, aut Cæsarem beneficii sui pœniteret.

NOTAE.

QVID? CVM ISTA RES) Ostendit hactenus, quo animo fuerint in Africam. Nunc, quo animo in Pompeii castris, qui erat Cæsaris inimicus, versarentur, docet. PATRIC.

TANTVMMODO IN PRAESIDIIS ERATIS) Tantùm modò videlicet in castris Pōpeii corpore versabamini, causam autem eius animis vestris non probabatis. Etenim videndum fortè aliquid eiusmodi est, quale nunc dixi, an videlicet legi debeat. TANTVM CORPORE IN PRAESIDIIS ERATIS SCILICET. Sic enim pulchrè sequeretur. Animi verò à causa abhorrebant. Vt sit sensus. Dicis causa tantummodo in præsidiis eratis. Vel, dicis tantum causa in præsidiis eratis: animis à causa abhorrebatis.

NEC IN VOBIS MAGIS) subaudi. Hoc fit. Non magis hoc fit in vobis quàm in reliquis. Sensus. Cùm aduentus vester ad Pompeium nihil aut vobis profuisset, aut inimicis obfuisset, dicite, num ob id languidius eius causæ studuistis? an potius vos quoq; non minus quàm ii qui Cæsari studebant, vincere volebatis. Ergo IN VOBIS, qui cum Pompeio fuistis. IN RELIQVIS, qui in Cæsaris partibus fuerunt.

PACIS EQVIDEM SEMPER AVCTOR FVI) In parenthesi: vt iudicem in beneuolentia retineat. Pertinet autem ad illud. Omnes, inquit, vincere volebamus, me excepto, qui semper pacis auctor fui. Quanquam serius quàm oportuerit.

HANC SALVTEM ANTEPONAS ILLI VICTORIÆ.

C T O R I A E.)Et hoc ad eandem captandam beneuolentiam. Non dubito, inquit, quin à Cæſare malis ſeruatus videri, quàm vincere cum Pompeio.

Et reuera Romæ tunc temporis, omne genus gratiæ & beneuolentiæ Cæſaris, omnibus paſsim gratum, & vſq; ad ambitionem quaſi quandam erat periucundum. Id eueniebat ex magnitudine Cæſaris gloriæ, quæ vbique vigebat, & ore omnium celebrabatur, ſic, vt in quotacunq; gratiæ ipſius parte hærere, glorioſiſsimũ cuiq; videretur. Tale eſt illud in epiſtola ad Trebatium, de ſolo quidem Trebatio vſurpatum, ſed de communi quaſi omnium Rom. ſenſu depromptum. Moriar, inquit noſter, ni putem, malle te à Cæſare conſuli quàm inaurari. Tam eſt fuitq; ſemper, ambitioſè, expetita res, principum virorum gratia. Scis, Zamoſci, quid dicam. Ea eſt enim veſtra: ego autem dico, etiam tua, dignitas, exiſtimatio, rerum geſtarum gloria, vt compellare vos, vt compellari à vobis, honorificentiſsimum eſſe exiſtimemus. Quid beneficium à vobis accipere? quid in aliqua ſede honoris à vobis collocari?

ORATIO.

XVIII. CICERO.

NVnc quæro, vtrum veſtras iniurias, an Reip. perſequamini. Si Reipub. quid de veſtra in ea cauſa perſeuerantia reſpondebitis? ſi veſtras, videte ne erretis, qui Cæſarem veſtris inimicis iratum fore putetis, cùm ignouerit ſuis. Itaque num tibi videor Cæſar in cauſa Ligarii occupatus eſſe? num de eius facto dicere? quicquid dixi, ad vnam ſummam referri volo, vel humanitatis, vel clementiæ, vel miſericordiæ tuæ. Cauſas Cæſar egi multas, & quidem tecum, dum te in foro tenuit ratio honorum tuorum: certè

certè nunquam hoc modo. Ignoſcite Iudices, errauit, lapſus eſt, non putauit, ſi vnquam poſthac. Ad parentem ſic agi ſolet. Ad iudices, Non fecit, nō cogitauit, falſi teſtes, fictum crimen. Dic te Cæſar de facto Ligarii iudicem eſſe: quibus in præſidiis fuerit, quære, taceo. Ne hæc quidem colligo, quæ fortaſſe valerent etiam apud iudicē. Legatus ante bellū profectus, relictus in pace, bello oppreſſus, in eo non acerbus, tū etiā fuit totus animo et ſtudio tuus. Ad iudicem ſic agi ſolet. Sed ego ad parentē loquor. Errauit, temerè feci, pœnitet, ad clementiam tuam confugio, delicti veniam peto, vt ignoſcas oro. Si nemo impetrauit, arroganter: ſi plurimi, tu idem fer opem, qui ſpem dediſti.

NOTAE.

IN EA CAVSA) Legerem, IN EADEM CAVSA, vel, IN EA IPSA CAVSA, hoc autem eſt, in factione Pompeii, in qua vos quoque non minus quàm Ligarius perſeueraſtis. Senſus. Si, inquit, iniurias in Ligario perſequimini, etiam profectò in vobis perſequi eas debetis, qui in eadem cum Ligario cauſa fuiſtis ac perſeueraſtis. Lambinus ex vet. cod. legit pro, IN EA, IN ILLA. Reponamus igitur vtrumque, IN EA ILLA, & erit, quod nos diuinabamus, IN EA IPSA. PATRIC.

NVM TIBI VIDEOR) Vides ô Cæſar, inquit, omnem orationis meæ vim & rationem non tam in Ligarii facto occupari quàm in prædicatione clementiæ & humanitatis tuæ.

NON PVTAVIT) Hoc illud eſt, quod dicere negant eſſe ſapientis. NON PVTARAM.

SI VNQVAM POSTHAC) Integrum extat apud Te-

rentium Phorm. Nunc omitte quæso hunc, cæterum posthac si quicquam, nihil precor.

IN EO NON ACERBVS, TVM ETIAM FVIT TOTVS ANIMO ET STVDIO TVVS) Quid si. IN EO NON ACERBVS TAMEN ETIAM FVIT: TOTVS OMNINO ANIMO ET STVDIO TVVS. IN EO, autem est, in bello.

ORATIO.

XIX. CICERO. *AN sperandi Ligario causa non sit, cùm mihi apud te sit locus etiam pro altero deprecandi? quanquam neque in hac oratione spes est posita causæ, nec in eorum studiis qui à te pro Ligario petunt tui necessarii. Vidi enim & cognoui, quid maximè spectares, cùm pro alicuius salute multi laborarent: causas apud te rogantium gratiores esse, quàm preces: neque spectare, quàm tuus esset necessarius is, qui te oraret: sed quàm illius, pro quo laboraret. Itaque tribuis tu quidem tuis ita multa, vt mihi beatiores illi esse videantur interdum, qui tua liberalitate fruuntur, quàm tu ipse, qui illis tam multa concedis. Sed video tamen apud te causas, vt dixi, rogantium valere plus, quàm preces, ab iisque te moueri maximè, quorum iustissimum dolorem videas in petendo.*

NOTAE.

PATRIC. CVM MIHI APVD TE) MIHI, in eadem causa olim versato.

NEQVE

NEQVE IN HAC ORATIONE) aut mea, aut Ligarii confitentis delictum, & deprecantis.

SPES EST POSITA CAVSAE) Ligarianæ scilicet apud te obtinendæ.

QVID MAXIME SPECTARES) Hoc totum videndum, & quidem videndum, an abesse debeat. Sequitur enim, NEQVE SPECTARE.

NEQ. SPECTARE) Adderem, TE. & fortè sic, NON TE SPECTARE. Lambinus simpliciter ex vet. cod. NEQVE TE SPECTARE.

ORATIO.

IN Q. Ligario conseruãdo multis tu quidem gratum facies necessariis tuis: sed hoc quæso considera, quod soles. Possum fortissimos viros Sabinos, tibi probatissimos, totúmque agrum Sabinum florem Italiæ, robur Reipub. proponere. Nosti optimè homines. Animaduerte horum omnium mœstitiam & dolorem. Huius T. Brochi, de quo non dubito quid existimes, lachrymas, squaloremq́; ipsius & filii vides. Quid de fratribus dicam? noli Cæsar putare de vnius capite nos agere. Aut tres Ligarii tibi in ciuitate retinendi sunt, aut tres ex ciuitate exterminandi. Quoduis exilium his est optatius, quàm patria, quàm domus, quàm dii penates, vno illo exulante. Si fraternè, si piè, si cum dolore faciunt, moueant te horum lachrymæ, moueat pietas, moueat germanitas, XX. CICERO.

nitas,

nitas, valeat tua vox illa quæ vicit. Te enim dicere audiebamus, nos, omnes aduersarios, putare, nisi qui nobiscum essent: te omnes, qui contra te non essent, tuos.

NOTAE.

PATRIC. HOC CONSIDERA QVOD SOLES) Causas scilicet rogantium.

SI FRATERNE, SI PIE) Fortassis. SI ID FRATERNE.

NOS OMNES ADVERSARIOS PVTARE NISI QVI NOBISCVM ESSENT, TE OMNES, QVI CONTRA TE NON ESSENT, TVOS.) Sensus. Nos aduersarios vocabamus, inquit, omnes qui nobiscum non essent, tu omnes eos vocabas tuos, qui modò contra te non essent.

ORATIO.

XXI.

CICERO. *VIDésne igitur hunc splendorem, omnem hanc Brochorum domum, hunc L. Martium, C. Cesetium, L. Cornificium, hosce omnes equites Ro. qui adsunt veste mutata, non solùm notos tibi, verùm etiam probatos viros, qui tecum fuerunt? atque his maximè irascebamur, & hos requirebamus, & his nõnulli etiam minabantur. Conserua igitur tuis suos: vt, quemadmodum cetera, quæ dicta sunt à te, sic hoc verissimum reperiatur. Quòd si penitus perspicere posses concordiam Ligariorum, omnes fratres*

tecum

tecum iudicares fuisse. An potest quisquam dubitare, quin, si Q. Ligarius in Italia esse potuisset, in eadem sententia futurus fuerit, in qua fratres fuerunt? quis est, qui horum consensum conspirantem & penè conflatum, in hac propè æqualitate fraterna non nouerit? qui hoc non sentiat, quiduis prius futurum fuisse, quàm vt hi fratres diuersas sententias, fortunásque sequerentur? Voluntate igitur omnes tecum fuerunt. Tempestate abreptus est vnus: qui si consilio id fecisset, esset eorum similis, quos tu tamen saluos esse voluisti.

NOTAE.

QVI TECVM FVERVNT?) Cum interrogationis puncto in fine. pendet enim ab illo. VIDESNE. PATRIC.

NONNVLLI ETIAM MINABANTVR) Fortè, MINABAMVR. vt suprà, irascebamur, requirebamus.

CONSERVA TVIS SVOS) TVIS, quos tu scilicet tuos appellas, quia contra te non essent. his conserua, eos qui sunt ipsorum, vel sanguinis, vel beneuolentiæ coniunctione.

SIC HOC VERISSIMVM REPERIATVR) HOC, quod dixisti, tuos esse qui contra te non essent.

SI Q. LIGARIVS) is, cuius causa agitur, si potuisset esse in Italia, tum cùm Legatus esset Considio Procos.

CONSENSVM CONSPIRANTEM ET PENE CONFLATVM) CONFLATVS, an nomen, an participium, Illud. Consensum & penè conflatũ conspirantem. hoc. Conspirantem & penè conflatum consensum. Vtrumque minus vsitatum, Ergo videndum.

QVI HOC NON SENTIAT) Repete ex superiore. QVIS EST, QVI HOC NON SENTIAT.

ABREPTVS EST VNVS) Hic ipse Q. pro quo habetur hæc oratio.

ESSET EORVM SIMILIS QVOS TV TAMEN SALVOS ESSE VOLVISTI) Mallem ferè sic. ESSET EORVM SIMILIS TAMEN, QVOS TV SALVOS ESSE VOLVISTI.

ORATIO.

XXII. CICERO. *SED ierit ad bellum, dissenserit non à te solùm, verùm etiam à fratribus: hi te orant tui. Equidem cùm tuis omnibus negociis interessem, memoria teneo qualis tum T. Ligarius Quæstor vrbanus fuerit erga te & dignitatem tuam. Sed parum est me hoc meminisse: spero etiam te, qui obliuisci nihil soles, nisi iniurias, quoniam hoc est animi, quoniam etiam ingenii tui, te aliquid de huius Quæstoris officio cogitantem, etiam de aliis quibusdam Quæstoribus reminiscentem recordari. Hic igitur T. Ligarius, qui tum nihil egit aliud (neq; enim hæc diuinabat,) nisi vt tu eum studiosum & bonũ virum iudicares: nunc à te supplex fratris salutem petit. Quam huius admonitus officio cùm vtrisque his dederis, tres fratres optimos & integerrimos non solùm sibi ipsos, neq; his tot ac talibus viris, neque nobis necessariis suis, sed etiam Reip. condonaueris.*

NOTAE

30

NOTAE.

IERIT AD BELLVM) nº 11. Fuerint cupidi, fuerint irati, fuerint pertinaces.

QVALIS FVERIT) cùm tibi ſcilicet ex ærario tollere quantum velles permittebat. Sed quia hoc non omnibus placere Cicero intelligebat, ideò rectè innuit potius quàm exponit.

ETIAM DE ALIIS QVIBVSDAM QVAESTORIBVS REMINISCENTEM) Hoc non fruſtrà addit Cicero. Fortaſsis autem aliquid de ſua ipſius Quæſtura, qua ſe mirificè extollebat ſemper. Sic igitur hoc diceret. Meminiſti, inquit, me quoque ipſum, in mea olim Quæſtura, de te fuiſſe benemeritum, & ita dignũ, qui nunc pro Ligario obtineam quæ velim. Sed hoc, vt puto, nihil eſt. Intelligo igitur de aliis Quæſtorib. De iis ſcilicet, qui tibi effringenti ærarium obſtiterunt. Vt igitur iſtos amare non potes, ſic T. Ligario hanc gratiam debes, vt Q. eius fratri omnia condones. Et Manutius quidem de iiſdem dictum exiſtimat.

HI TE ORANT TVI) Fortè. HIC TE ORANT TVI.

QVIA TVM NIHIL EGIT AIIVD) TVM, cùm eſſet Quæſtor, & cùm tu quoque nihil eorum cogitares, quæ nunc es adeptus: NIHIL EGIT ALIVD, nihil à te ſcilicet aliud expectauit.

NEQVE ENIM HAEC DIVINABAT) HAEC, quæ in te fortuna nunc contulit.

VT TV EVM STVDIOSVM) Fortè. VT TVI EVM STVDIOSVM. Vel, VT TV TVI EVM STVDIOSVM. Etiam Lambinus & Manutius.

HVIVS ADMONITVS OFFICIO) precibus ſcilicet quas pro fratre fundit.

ORATIO.

XXIII. CICERO.

FAc igitur quod de homine nobiliſſimo & clariſſimo M. Marcello reſtituto feciſti nuper in curia:

ria: nunc quidem in foro de optimis, & huic omni frequētiæ probatiſsimis fratribus. vt conceſsiſti illum Senatui, ſic da hunc populo, cuius voluntatem chariſsimam ſemper habuiſti: &, ſi ille dies tibi glorioſiſsimus, populo R. gratiſsimus fuit, noli obſecro dubitare C. Cæſar, ſimilem illi gloriæ laudem quā ſæpiſsimè quærere. Nihil eſt enim tam populare, quàm bonitas; nulla de virtutibus tuis plurimis nec gratior, nec admirabilior miſericordia eſt. Homines enim ad deos nulla re propius accedunt, quàm ſalute hominibus danda. Nihil habet nec fortuna tua maius, quàm vt poſsis; nec natura tua melius, quàm vt velis conſeruare quamplurimos. Longiorem orationem cauſa forſitan poſtulat, tua certè natura breuiorē. Quare cùm vtilius eſſe arbitrer te ipſum, quàm aut me, aut quenquam, loqui tecum, finem iam faciam: tantùm te admonebo, ſi illi abſenti ſalutē dederis, præſentibus his omnibus te daturum.

NOTAE.

PATRIC. ET SI ILLE DIES) ILLE, Marcello videlicet reſtituto. POPVLO ROM.) Fortè. R. P. hoc autem eſt, REIPVBLICAE.

FINIS.

ANDR.

PATRICII NIDECICI
IN ORATIONEM M. TVLLII CICERONIS PRO DEIOTARO REGE
Notæ.

ORATIO.

I. CICERO.

CVM in omnibus causis grauioribus C. Cæsar initio dicendi cõmoueri soleã vehementius, quàm videtur vel vsus, vel ætas mea postulare: tum in hac causa ita me multa perturbant, vt, quantũ mea fides studii mihi afferat ad salutem Regis Deiotari defendendam, tantum facultatis timor detrahat. Primùm dico pro capite fortunisq́; Regis: quod ipsum etsi non iniquum est, in tuo duntaxat periculo: tamen est ita inusitatum, Regẽ capitis reum esse, vt ante hoc tempus non sit auditum. Deinde eum Regem, quem ornare antea cuncto cum Senatu solebamus, pro perpetuis eius

in nostram Rempub. meritis, nunc contra atrocissimum crimen cogor defendere. Accedit, vt accusatorum alterius crudelitate, alterius indignitate perturber. Crudelis Castor, ne dicam sceleratum & impiũ, qui nepos auum in discrimen capitis adduxerit: adolescentiæq́; suæ terrorem intulerit ei, cuius senectutem tueri & tegere debebat: commẽdationem ineuntis ætatis ab impietate & scelere duxerit: qui seruum corruptum præmiis ad accusandum dominũ impulerit, & à Legatorum pedibus abduxerit. Fugitiui autem dominum accusantis, & dominum absentem, & dominum amicissimum nostræ Reip. cùm os videbam, cùm verba audiebam, nõ tam afflictam regiam conditionẽ dolebam, quàm de fortunis communibus extimescebam. Nam cùm more maiorum de seruo in dominum ne tormẽtis quidem quæri liceat, in qua quæstione dolor verum vocem elicere possit etiam ab inuito: exortus est seruus, qui, quem in eculeo appellare non posset, eum accuset solutus.

NOTAE.

PATRIC. DICO PRO CAPITE FORTVNISQVE REGIS: QVOD IPSVM ETSI NON INIQVVM EST, TAMEN EST ITA INVSITATVM, REGEM CAPITIS ESSE REVM, VT ANTE HOC TEMPVS NON SIT AVDITVM) Bifariam expono, Primùm quidẽ

hoc,

hoc dicere mihi videtur. Perturbari me, inquit, ô Cæsar, necesse est. Quid ita? DICO, enim, inquit, PRO CAPITE ET FORTVNIS REGIS. Hoc est. Causa ipsa quam ago, eiusmodi est, in qua versatur caput & fortunæ, non cuiuslibet de grege hominis, sed regis: & omninò, in qua, vt statim ipse loquitur, si modò ipse loquitur, rex fit reus capitis. QVOD IPSVM, dicere scilicet pro capite fortunisq́; regis. ETSI NON EST INIQVVM, IN TVO DVNTAXAT PERICVLO. Hoc est. Etsi iustum est, reges etiam ipsos causam capitis Romæ dicere, si minus iam in cæteris casibus, at in eo saltem (hoc enim valet τὸ, DVNTAXAT, sicut admonuimus in ea pro Marcello nº 13. ad verba illa. Casus duntaxat humanos pertimesco) qui tibi, in cuius salute salus nititur ciuitatis, periculum vllum vitæ afferre videatur, TAMEN hoc ipsum, quod dico esse non iniquum, ITA EST INVSITATVM, VT ANTE HOC TEMPVS OMNINO SIT INAVDITVM. Penè enim dixerim, totum illud, REGEM CAPITIS ESSE REVM, abundare, ad hanc quam dico accommodatum sententiam. Ad quamquidem etiam sententiam respiciunt illa, quæ leguntur inferius nº 2. cùm ita loquitur Orator, adiuncta iam tamen persona iudicis, ad causæ ipsius rationem. Re, inquit, iniquum est, sed tua sapientia fit æquissimum. Nam dicere apud eum de facinore (hoc est enim, DICERE PRO CAPITE ET FORTVNIS) contra cuius vitam consilium facinoris inisse arguare, si per seipsum consideres, graue est: nemo enim est, qui sui periculi iudex, non sibi se æquiorem quàm reo præbeat. &c. Et statim ibidem. Tantam causam, quanta nulla vnquam in disceptatione versata est, dico intra domesticos parietes. Secundo expono sic. Perturbari me, ô Cæsar, inquit, necesse est. Non enim tantùm causam præ manibus habeo maximam, vti priore interpretatione est dictum, sed ipsum etiam meum officium, in causa ipsa maxima, maximum esse sentio. DICO, enim, PRO CAPITE ET FORTVNIS REGIS, hoc autem est, defendo caput & fortunas regis. Quæ quidem mea defensio, etsi omni planè culpa vacare videatur (vt ab ea quidem parte timere nihil debeam, quasi indignum aliquid admittam) modò id fiat citra tuum ô Cæsar periculum. Tamen res ipsa, regem ipsum capitis esse reum, tam atrox est, & tam inusitata, vt ante hoc tempus sit planè inaudita. Quamquidem ad sententiam, illa,

quæ dicam, pertinere videntur. Vnum, cùm dicit paulò superius, Quantum, inquit, studii fides mea affert mihi, ad salutem regis Deiotari defendendam, tantum facultatis timor detrahit. Alterum inferius statim, Regem, inquit, quem antea ornare solebamus, eum nunc contra atrocissimum crimen cogor defendere. Atque in hac sanê sententia, pro illo, IN TVO PERICVLO, legendum videretur, SINE TVO PERICVLO. Quid interest inter has interpretationes? inquies. Dixi: sed dicam etiam pressius. In priore interpretatione, causæ magnitudo expenditur. In altera, officii difficultas, quæ est in defendendo eiusmodi reo, consideratur. Sed quæret etiam quispiam. Quid est, quod hoc quidem loco, NON INIQVVM, esse ait, id quod statim post nº 2º. RE IPSA INIQVVM ESSE, dicit? Respondeo. Eandem vtrobique sententiam contineri: & quidem, si rectè attendamus, admodum expressam luculenter. Quod enim re ipsa iniquum esse dicit, idipsum Cæsaris ipsius sapientia, non modò non iniquum sed etiam prorsus æquissimum fieri asseuerat. Vsque adeò sanè, vt ex eo, quod dicimus, tertia quasi propositorum verborum expositio exculpi posse videatur, si dicas, NON INIQVVM ESSE, REGES CAVSAM CAPITIS DICERE, IN CAESARIS DVNTAXAT IPSIVS PERICVLO. Quomodo non iniquum in Cæsaris periculo? Quia Cæsar scilicet sua sapientia, illa etiam, quæ re iniqua sunt, æquissima facit videri. Nisi quòd hæc quidem eiusmodi interpretatio, bis idem ab oratore statim dici, & nullo operæ precio dici, planissimè argueret. Quod hoc quidem loco vix ferendum videretur. Primam igitur interpretationem facilè cæteris antepono: quando secunda & tertia, si semel reciperetur, locum nullũ iis quæ sequuntur, relinquere amplius videretur.

DEINDE EVM REGEM) Altera causa timoris & trepidationis. Nam præter consuetam illam in initiis omnibus orationum, trepiditationem eius, primam causam attulit, hoc tempore timoris sui, rei scilicet & causæ ipsius magnitudinem, quòd scilicet rex capitis accusetur. Nunc causam affert alteram, quòd is rex accusetur, qui sit de repub. optimè meritus.

ACCEDIT) Tertia causa, ex personis accusatorum. Et vt semel dicam omnia. Quarta statim pòst, ex persona iudicis. Perturbat me C. Cæsar. Quinta ex ratione loci, ibi. Moueor etiam.

ALTERIVS CRVDELITATE) quia nepos in auum.

ALTERIVS INDIGNITATE) quia seruus in dominū.

CRVDELIS CASTOR) Exponit crudelitatem vnius accusatoris.

AVI SERVVM CORRVPTVM PRAEMIIS AD ACCVSANDVM IMPVLERIT) Distinguo. AVI SERVVM, CORRVPTVM PRAEMIIS. Binis videlicet non ternis, coniunctis verbis.

A LEGATORVM PEDIBVS ABSTRAXERIT) LEGATORVM, cum quibus venit, dominum defensurus, in causa capitis. Infra n° 11. Qui cum legatis, inquit, missus esset.

FVGITIVI AVTEM) Indignitatem alterius accusatoris explicare incipit.

DE SERVO IN DOMINVM) Vide pro Mil. 44.

ORATIO.

PER turbat me C. Cæsar etiam illud interdum: quod tamē, cùm te penitus recognoui, timere desino. Re enim iniquum est, sed tua sapientia fit æquissimum: nam dicere apud eum de facinore, contra cuius vitam consilium facinoris inisse arguare, si per se ipsum consideres, graue est. Nemo enim ferè est qui sui periculi iudex, nō sibi se æquiorem, quàm reo præbeat. Sed tua C. Cæsar præstans singularísque natura hunc mihi metū minuit. Non enim tam timeo, quid tu de Rege Deiotaro, quàm intelligo, quid de te cæteros velis iudicare. Moueor etiam loci ipsius insolentia, quòd tantam causam, quanta nulla vnquam in disceptatione versata est, dico intra domesti- II. CICERO.

mesticos parietes, dico extra conuentum & eam frequentiam, in qua oratorum studia niti solent: in tuis oculis, in tuo ore, vultúque acquiesco: te vnum intueor: ad te vnum omnis mea spectat oratio: quæ mihi ad spem obtinendæ veritatis grauissima sunt, ad motum animi, & ad omnem impetum dicendi, contentionémque leuiora.

NOTAE.

PATRIC. SI PER SEIPSVM CONSIDERES) Hoc est quod modò dixit. Si re ipsa consideres.

INTRA DOMESTICOS PARIETES) tuos scilicet.

IN QVA ORATORVM STVDIA NITI SOLENT) Qua in existimatione meas istas commentationes haberi velim in omni genere, id & paulò antè ostendi, cùm verba illa interpretarer. Quod ipsum etsi non iniquum est, in tuo duntaxat periculo: & nunc etiam in hac vna commentatione ostendam. Neq; enim profectò, nisi pro coniecturis, & quidem interdum qualibuscunque, omnia per me afferuntur, quæ in medium afferuntur. Primùm igitur fero vulgatam lectionem. Deinde si lubet, pro, NITI, legerem ferè hoc loco, NITERE. Quod verbum, cùm aliquis fortè legeret, & à verbo, nitor, deductum esse crederet, niteo autem latinè dici fortaßis non existimaret, fecit, NITI, ex, NITERE. Alibi in ea contra Rullum dixit. Vectigalia nitere: Sed, vt dixi, vulgatum, NITI, minime repudio. Reuera enim oratorum studia, si hominum frequentiam nacta fuerint, nixa hac ipsa, altius assurgunt, &, vt sic dicam, inflant vehementius. Atque id sanè, quod de, NITI, diximus, vidit etiam Manutius, vt erat vir, qui in hoc genere multa vidit: & quidem antè etiam quàm nos ipsam ea vidisse videremus. τὸ, NITI, igitur etiam Manutii auctoritate labefactatum est. quod antea nesciebamus. NITERE, quod à nobis dudum allatum est, à tentantibus magis, quàm ab affirmantibus est allatum, vt cætera ferè in hoc genere omnia.

AD MOTVM ANIMI LEVIORA) Vide de opt. gen. orat. 146.

ORATIO.

III CICERO.

Hanc enim C. Cæsar causam si in foro dicerem eodem audiente & disceptante te, quantam mihi alacritatem populi R. concursus afferret? quis enim ciuis ei Regi non faueret, cuius ætatem omnem in populi R. bellis consumptam esse meminisset? spectarem curiam, intuerer forum, cœlum denique testarer ipsum. Sic, cùm & deorum immortaliũ, & populi R. et Senatus beneficia in Regem Deiotarum recordarer, nullo modo mihi deesse posset oratio. Quæ quoniã angustiora parietes faciunt, actióque causæ maximè debilitatur loco: tuũ est Cæsar, qui pro multis sæpè dixisti, quid nunc mihi animi sit, ad te ipsum referre, quo facilius tum æquitas tua, tum audiendi diligentia minuat hanc perturbationem meam.

NOTAE.

PATRIC.

COELVM DENIQVE TESTARER IPSVM) Non placet, TESTARER. Neque enim cum antecedentibus conuenit: quæ, omnia ad aspectum & intuitum ipsum, nulla ad attestationem aut testificationem videntur pertinere. Sed ne sequentibus quidem ipsis aptè admodum iungi potest. Si enim post spectãdam, vt loquitur, curiam, & intuendum forum, cœlum iam ipsum testaretur, & vt in tali re, vehementi illo dicendi genere vteretur, quid est quæ-

est quæso, quod dicit, nullo modo tum temporis deesse sibi orationem posse? Illa verò iam tum eiusmodi incensa facibus, abundare certè & superesse potius quàm deesse mihi videretur. Vt omittam, quòd recordatio ipsa beneficiorum diuinorum erga Deiotarum regem, cuius rei statim facit mentionem, facilius ferè ex contemplatione, quàm ex attestatione cœli ipsius in mentem venire dici potest. Vacillat igitur, hoc loco, mea quidem sententia, testandi verbū, tot pressum incommoditatibus. Quid est autem quod pro eo reponendum censeā? Dicam, quod potero. Principiò, aliquid quærendum esse putē, quod spectandi & intuendi verbo conueniat. Deinde, ne longum faciam, verbum contemplandi, tale prorsus esse existimem. Scribe enim sic. Denique testarer, Facile sanè ex eo feceris. Deniq. contēplarer. Vel scribe sic, Deniq; testarer. Facile feceris. Deniq. ꝯtēplarer. Equidem hoc ipsum contemplandi verbum, cum cælo ac cœlestibus vsurpatum, cùm alibi apud alios reperias, tum sæpe apud hunc nostrum. Rem autem ipsam quod attinet cuius hic fit mentio, sic propè loquitur in ea pro Plantio, verbo eodem contemplandi vsus. Conspectus, inquit, vester reficit & recreat mentem meam, cùm intuear & contempler vnumquemque vestrum.

SIC CVM ET DEORVM IMMORTALIVM, ET POP. ROM. ET SENATVS BENEFICIA RECORDARER) Tria sunt, quorum singula, totidem etiam spectant superiora. Nam BENEFICIA DEORVM, spectant cælum, BENEFICIA POPVLI ROM. forum, SENATVS BENEFICIA curiam. Quæ omnia præcesserunt.

ACTIOQVE CAVSAE MAXIME DEBILITATVR LOCO) Vel MAXIME DEBILITATVR. Vel CAVSÆ MAXIMÆ. Hoc etiam Lamb. ex vet. Cod. duobus.

AD TEIPSVM REFERRE) Hoc est, tuam personam in mea agere: vel, meam potius in tua.

ORATIO.

IV. CICERO. *SED antequam de accusatione ipsa dico, de accusato-*

cusatorum spe pauca dicam. Qui cùm videantur neque ingenio, neque vsu atque exercitatione rerum valere, tamen ad hanc causam non sine aliqua spe & cogitatione venerunt. Iratum te Regi Deiotaro fuisse, non erant nescii: affectum illum quibusdam incommodis & detrimentis propter offensionem animi tui, meminerant: téque cùm huic iratum, tum sibi amicum cognouerant: cúmque apud ipsum te de tuo periculo dicerent, fore putabant, vt in exulcerato animo facile fictum crimen insideret. Quamobrem hoc nos primùm metu C. Cæsar per fidem & cōstantiam & clementiam tuam libera, ne residere in te vllam partem iracundiæ suspicemur. Per dexteram te istam oro, quam Regi Deiotaro hospes hospiti porrexisti: istam, inquam, dexteram, non tam in bellis & in prælijs, quàm in promissis & fide firmiorem. Tu illius domum inire, tu vetus hospitium renouare voluisti: te eius dii penates acceperunt: te amicum & placatum Deiotari Regis aræ fociq; viderunt.

NOTAE.

AFFECTVM ILLVM) Affectum esse Deiotarum, ademptione earū rerum, quæ à Senatu obtinuerat. Et vide quidem summam oratoris in dicendo cautionem Non enim dicit, Affecisti eum iratus incommodis & detrimentis. Sed dicit. Affectus est incommodis & detrimentis propter offensionem animi tui. PATRIC.

TVM SIBI AMICVM COGNOVERANT) SIBI, Te scilicet tibi ipsi. Ostendunt id ea quæ statim sequuntur. Hæc dico, quòd aliquis fortè existimet, τὸ, SIBI, ad ipsos qui cognouerant, non ad ipsum, quem cognouerant, referri oportere. Est enim ferè reciprocorum istorum vsus lubricus admodum & anceps. Hactenus olim. Nunc, quod tanto antè prædixi, ecce euenit. Manutius enim noster τὸ, SIBI, .i. Castori, & tantum non Phidippo interpretatur. Videndum.

NON TAM IN BELLIS ET PRAELIIS, QVAM IN PROMISSIS ET FIDE FIRMIOREM) Videndum. Aliquid fortasſis eiusmodi. Non tam in bellis & præliis firmam, quàm in promisſis & fide firmiorem. Nam & Prisc. lib. 3. hunc locum citans, nescio quid eiusmodi suggerit, & res etiam ferè ipsa. Alioqui 7. Fam. ita hoc extulit. Do tibi eum, inquit, de manu in manum tuam istam, & victoria & fide præstantem. Lambinus legit, vt vulgo. Manutius haud scio an melius & verius. NON IN BELLIS ET PRAELIIS, QVAM IN PROMISSIS ET FIDE FIRMIOREM. Citat autem vterque eundem illum Prisc. locum. Manutius verò etiam Ciceronis, eundem illum quem nos adduximus.

TV ILLIVS DOMVM INIRE) Mallem, VENIRE. Sed alibi ab eodem, & cubile & conuiuium iniri dicitur.

ORATIO.

V.

CICERO. *Cùm facilè exorari Cæsar, tum semel exorari soles. Nemo vnquã te placauit inimicus, qui vllas resedisse in te simultatis reliquias senserit. Quanquam cui sunt inauditæ cũ Deiotaro querelæ tuæ? nunquam tu illum accusauisti vt hostem, sed vt amici officio parum functũ, quòd propensior in Cn. Pompeii amicitiam fuisset, quàm in tuam. Cui tamen ipsi Regi*

si Regi veniam te daturum fuisse dicebas, si tum auxilia Pompeio, vel si etiam filium misisset, ipse excusatione ætatis vsus esset. Itaq; cùm maximis eum rebus liberares, perparuam amicitiæ culpam relinquebas. Itaque non solùm in eum non animaduertisti, sed omni metu liberauisti, hospitem agnouisti, Regem reliquisti. Neq; enim ille odio tui progressus, sed errore communi lapsus est.

NOTAE.

FACILE EXORARI, SEMEL EXORARI) Przeprośon być. PATRIC.

CVI TAMEN IPSI REGI) REGI, vacare videtur. Et certè absq; eo pulchrius sonat.

SI TVM AVXILIA) Legerem. SI TANTVM AVXILIA. Hoc enim dicit. Veniam illi dedisses, si ipse ad Pompeium non iuisset, auxilia modò, vel filium etiam cum auxiliis misisset. Lambinus, SI, CVM AVXILIA POMPEIO, VEL FILIVM ETIAM MISISSET, IPSE EXCVSATIONE AETATIS VSVS ESSET. Meum malo, quia Lābinus in suo delet alterum, SI, in illo, VEL SI FILIVM ETIAM MISISSET. & tamen præterea, non tam efficacem sententiam complectitur.

CVM MAXIMIS EVM REBVS LIBERARES, PERPARVAM AMICITIAE CVLPAM RELINQVEBAS) Videndum. Maximis rebus liberare, est, iis rebus liberare, quæ grauissimæ obiici illi possent. Quid tamen si pro, REBVS, legas, CRIMINIBVS: vel, SCELERIBVS: vel si etiam hoc, REBVS, deleas: & legas. CVM MAXIMIS EVM LIBERARES (subaudi culpis: repetito ex inferiori comate) PERPARVAM AMICITIAE CVLPAM RELINQVEBAS.

AMICITIAE CVLPAM RELINQVEBAS) Culpa amicitiæ, cùm dicitur, tum, & pro reo simul defendendo, & pro captanda iudicis beneuolentia dicitur. Culpam enim fatetur, quod iudici, & omninò auditori gratum est: & tamen amicitiæ etiam tribuit, non dolo malo, neque odio, vt statim dicit. Quod reo est magnopere conducibile.

REGEM RELIQVISTI) i. in statu & conditione regia manere eum voluisti.

NEQVE ENIM ILLE ODIO TVI PROGRESSVS) Scriberem, illE Odio, Legerem, ILLE EO ODIO. Eò, autem aduerbialiter.

ORATIO.

VI. CICERO. *IS Rex, quem Senatus hoc nomine sæpe honorificentissimis decretis appellauisset, quiq; illum ordinem ab adolescentia grauissimum sanctissimumq; duxisset, iisdem rebus est perturbatus, homo longinquus & alienigena, quibus nos in media Rep. nati, semperq; versati. Cùm audisset Senatus consentientis auctoritate arma sumpta. Cõsulibus, Prætoribus, Tribunis pl. nobis imperatoribus Remp. defendendam datam: mouebatur animo, & vir huic imperio amicissimus de salute populi Rom. extimescebat, in qua etiã suam inclusam esse videbat: in summo tamen timore quiescendum sibi esse arbitrabatur. Maxime verò perturbatus est, vt audiuit Consules ex Italia profugisse, omnésq; Consulares (sic enim nunciaba-*

ciabatur) cunctum Senatum totam Italiam esse effusam. Talibus enim nunciis & rumoribus patebat ad Orientem via, nec vlli veri subsequebantur. Nihil ille de conditionibus tuis, nihil de studio concordiae & pacis, nihil de conspiratione audiebat certorum hominum contra dignitatem tuam.

NOTAE.

IS REX) Scriberem ferè. S. REX, & legerem, SCILICET REX. PATRIC.

HOC NOMINE) regis scilicet nomine. Videndum an abundet tamen hoc ipsum, HOC NOMINE.

LONGINQVVS ET ALIENIGENA) Nota. Longinquus, de eo qui longè abest.

REMPVB. DEFENDENDAM DATAM) Fortè, DEFENDI MANDATAM. Sed nihil muto.

MOVEBATVR ANIMO ET VIR HVIC IMPERIO AMICISS. DE SALVTE P. R. EXTIMESCEBAT) Mallem. MOVEBATVR ANIMO VIR HVIC IMPERIO AMICISS. ET DE SAL. P. R. EXT. vel, ET DE SALVTE R. P. EXT. vel, DEQ. SALVTE.

OMNESQ. CONSVLARES CVNCTVM SENATVM, TOTAM ITALIAM ESSE EFFVSAM) Hoccine dicit. Totam Italiam ex Italia (sic enim modò dixit. Consules ex Italia profugisse) esse effusam? Minimè. Quid igitur? Hariolare. Conabor. Quod cùm fecero, reliqua aliis permittam. Quid si? CONSVLARES, CVNCTVM SENATVM, PER TOTAM ITALIAM ESSE EFFVSOS. Nimirum addo, PER. & pro, EFFVSAM, EFFVSOS, propono. Sed propono tantum non etiam pronuncio. Nam ego conatum me tantùm allaturum esse dixi ad eius loci explicationem: nihil aliud.

TALIBVS NVNCIIS ET RVMORIBVS PATEBAT AD ORIENTEM VIA) Conabor hic quoque rur-

ſum aliquid : vt me in coniecturis verſari, facile omnibus appareat. Quid igitur ſi, SCATEBAT, pro, PATEBAT. Nam ſc. & p. paulum omninò differunt. Horat. Scatentem beluis pontum. Ergo, SCATEBAT, id eſt, plena erat, talibus nunciis & rumoribus. Nowinámi y wieśćiami. Eos autē nuncios ſignificat profectò fuiſſe falſos, cùm dicit, Nec vlli veri ſubſequebantur. Et ſtatim oſtendit, quomodo nulli veri nuncii ad Deiotarum perferebantur. Nimirum quia neq; conditiones aut ſtudium pacis in Cæſare, neque conſpirationes aduerſus Cæſarem quorundam principum virorum, Deiotaro noti erant.

DE CONDITIONIBVS TVIS) à te latis.

DE STVDIO CONCORDIAE ET PACIS) TVO. Atque id quidem ex vna parte.

NIHIL DE CONSPIRATIONE CERTORVM HOMINVM) ex altera parte.

ORATIO.

VII. CICERO. *QVæ cùm ita eſſent, tamen vſque eò ſe tenuit, quoad à Cn. Pompeio ad eum legati litteræq; venerunt. Ignoſce, ignoſce Cæſar, ſi eius viri auctoritati Rex Deiotarus ceſſit, quem nos omnes ſecuti ſumus, in quem cùm dii atque homines omnia ornamenta congeſſiſſent, tum tu ipſe plurima et maxima. Neque enim, ſi tuæ res geſtæ cæterorū laudibus obſcuritatem attulerunt, idcirco Cn. Pompeii memoriam amiſimus. Quantum nomen eius fuerit, quantæ opes, quanta in omni genere bellorum gloria, quanti honores populi R. quanti Senatus, quanti tui, quis ignorat? tanto ille ſuperiores vicerat gloria, quanto tu omni-*

tu omnibus præstitisti. Itaque Cn. Pompeii bella, victorias, triumphos, Consulatus admirantes numerabamus, tuos enumerare non possumus. Ad eum igitur Rex Deiotarus venit hoc misero fatalíque bello, quem antè iustis hostilibúsque bellis adiuuerat, quocum erat non hospitio solùm, verùm etiam familiaritate coniunctus: & venit vel rogatus, vt amicus: vel accersitus, vt socius: vel euocatus, vt is, qui senatui parere didicisset: postremò venit vt ad fugientem, non vt ad insequentem, id est ad periculi, non ad victoriæ societatem.

NOTAE.

QVANTI HONORES POPVLI ROM. QVANTI SENATVS, QVANTI TVI) subaudi, collati in eum fuerint. Vel, ex eius gloria redundarint. Vel, quid aliud. Sed totum id, subauditum quàm expressum venustius sonat. PATRIC.

IVSTIS HOSTILIBVSQVE) Legitimis videlicet & cum hostibus initis bellis. Opponit autem hæc misero illi & fatali bello.

ORATIO.

VIII. CICERO.

Itaq. Pharsalico prælio facto, à Pompeio discessit: spem infinitam persequi noluit; vel officio, si quid debuerat, vel errori, si quid nescierat, satis factum esse duxit: domum se contulit: téq. Alexandrinum

drinum bellum gerente, vtilitatibus tuis paruit. Ille exercitum Cn. Domitii, amplissimi viri, suis tectis & copiis sustentauit. Ille Ephesum ad eum, quem tu ex tuis fidelissimum & probatissimum omnibus delegisti, pecuniam misit: ille iterum, ille tertio auctionibus factis pecuniam dedit, qua ad bellum vtereris: ille corpus suum periculo obiecit, tecúmq; in acie contra Pharnacem fuit, tuúmq; hostem esse duxit suum.

NOTAE.

PATRIC. PHARSALICO PRAELIO FACTO) Fortè, FINITO, vel, PERACTO, vel si quis ferat, FRACTO. Sic pro M. Marcello n° 19. Fracta dissensio. pro, finita vel paracta. Si modò bene habet, fracta. Diximus ibi.

ORATIO.

IX. CICERO. *Quæ quidem à te in eam partem accepta sunt C. Cæsar, vt eum amplissimo Regis honore et nomine affeceris. Is igitur non modò à te periculo liberatus, sed etiam honore amplissimo ornatus, arguitur domi te suæ interficere voluisse. Quod tu, nisi eum furiosissimum iudicas, suspicari profectò non potes. Vt enim omittam, cuius tanti sceleris fuerit, in conspectu deorũ penatium necare hospitem: cuius tantæ im-*

tæ importunitatis, omnium gentium atq; omnis memoriæ clarissimum lumen extinguere : cuius tantæ ferocitatis, victorẽ orbis terrarum non extimescere: cuius tam inhumani & ingrati animi, à quo Rex appellatus esset, in eum tyrannum inueniri: vt hæc omittam, cuius tanti furoris fuit omnes Reges, quorũ multi erant finitimi, omnes liberos populos, omnes socios, omnes prouincias, omnia deniq; omnium arma contra se vnum excitare? quonam ille modo cum regno, cum domo, cum coniuge, cum charissimo filio distractus esset, tanto scelere non modò perfecto, sed etiam cogitato?

NOTAE.

CVIVS TANTI SCELERIS, CVIVS TANTÆ IMPORTVNITATIS, CVIVS TANTAE FEROCITATIS, CVIVS TAM INGRATI ET INHVMANI ANIMI) Vide Liuii librum 23. in oratione Pacuuii ad Perollam. Reperies ibi profectò in compendio, quod hic copiosissimè amplificatum cernis. PATRIC.

IN EVM TYRANNVM INVENIRI) INVENIRI, id est, agnosci, & deprehendi. IN EVM, porrò, in Cæsarem, à quo Rex appellatus esset. TYRANNVM, autem ipsum Deiotarum intelligendum dico. Hoc sensu: Quis est tam ingratus & inhumanus, vt in eum tyrannus ipse esse velit, à quo fuerit rex appellatus? Quid tamen, si quid aliud pro, INVENIRI, Quid si, VELLE FIERI, vel simile?

QVONAM ILLE MODO, CVM REGNO, CVM DOMO, CVM CONIVGE, CVM FILIO DISTRACTVS ESSET) DISTRACTVS, fortassis significat, in

diuersa tractum, & quasi discerptum, à tot regibus, populis, sociis, prouinciis, vnà cum ipso regno & domo, & coniuge, & filio: quæ ipsa etiam, non minus quàm ipse, distracta essent. Interdum expono. DISTRACTVS CVM REGNO, i. à regno, CVM DOMO, à domo, CVM CONIVGE, à coniuge, CVM FILIO, à filio, Sicut dixit in ea pro Ligario nº 3. Distractus à fratribus. Interdum videndum esse puto, an ita legendum quis esse putet. QVONAM ILLE CVM REGNO, CVM DOMO, CVM CONIVGE, CVM FILIO DISTRACTVS ESSET? Quod si in cæteris veterem & vulgatam lectionem tuemur, agé, pro, DISTRACTVS, quid si, DISTRICTVS? quid etiam si, DESTRVCTVS?

NON MODO PERFECTO, SED ETIAM COGITATO) Hoc dicit. Quónam modo exceptus esset, si modò tantum scelus, non dico, perfecisset, sed cogitasset saltem.

ORATIO.

X. CICERO. *AT, credo, hæc homo inconsultus & temerarius non videbat. Quis consideratior illo? quis tectior? quis prudentior? quanquam hoc loco Deiotarum non tam ingenio & prudentia, quàm fide & religione vitæ defendendum puto. Nota tibi est C. Cæsar hominis probitas, noti mores, nota cōstantia. Cui porrò, qui modò populi R. nomen audiuit, Deiotari probitas, integritas, grauitas, virtus, fides non sit audita? quod igitur facinus nec in hominem imprudentem cadere posset, propter metū præsentis exitii: nec in facinorosum, nisi esset idem amentissimus: id vos & à viro optimo, & ab homine minimè stulto cogitatum*

tatum esse confingitis. At quàm non modò non credibiliter, sed ne suspitiose quidem.

NOTAE.

QVIS TECTIOR) TECTIOR, id est callidior. Videndum, Quid si, TERSIOR, ACVTIOR, SOLERTIOR, ACRIOR, PERITIOR, SAGACIOR? vel aliquid tandem, quod significatione proximè accedat ad ingenium & prudentiam, quam hic se laudare in Deiotaro statim ait. Quid si, CAVTIOR? qui scilicet omnia prouideat. Quid si etiam, CERTIOR? vt significet eum qui omnia habet explorata. Vet. Steph. totum hoc non habent, QVIS TECTIOR. Laudo. Laudo, inquam, vel vt absit, vel vt in, CAVTIOR, commutetur.

ORATIO.

XI. CICERO.

CVm, inquit, in castellum Luceium venisses, & domũ Regis hospitis tui diuertisses, locus erat quidã, in quo erant ea composita, quibus Rex te munerare cõstituerat. Huc te è balneo, prius quàm accumberes, ducere volebat. Ibi enim erant armati, qui te interficerent, in eo ipso loco collocati. En crimen, en causa, cur Regẽ fugitiuus, dominũ seruus accuset. Ego mehercule C. Cæsar initio, cùm est ad me ista causa delata, Phidippum medicum seruum regiũ, qui cum Legatis missus esset, ab isto ipso adolescente existimaui esse corruptũ. Hac suspitione sum perculsus:

medicũ indicem subornabit, finget videlicet aliquod crimen veneni. Etsi à veritate longè, tamen à consuetudine criminandi non multum res abhorrebat. Quid ait medicus? nihil de veneno. At id fieri potuit: primò occultius in potione, vel in cibo, deinde etiam impunius fit. Quod cùm est factũ, negari potest: si palàm te interemisset, omniũ in se gentium non solùm odia, sed etiam arma conuertisset: si veneno, Iouis illius quidem Hospitalis numen nunquam celare potuisset, homines verò fortasse celauisset.

NOTAE.

PATRIC. IBI ENIM ERANT ARMATI) Malo, IBI AVTEM. Sed & infrà n°13. Ibi enim erant insidiæ.

IBI ENIM ERANT ARMATI, QVI TE INTERFICERENT, IN EO IPSO LOCO COLLOCATI) Distinguerem interpretando. IBI ENIM ERANT ARMATI COLLOCATI. Vt deinde reliqua iungantur sic. QVI TE INTERFICERENT IN EO IPSO LOCO. Sed quia & hoc totum, IN EO IPSO LOCO, et compositio ipsa, LOCO COLLOCATI, minimè, vt puto, Ciceronis est, videndum esse putem, an hoc, IN EO IPSO LOCO, glossema sit, τοῦ, IBI. Si modò non etiam totum illud alienum est, IN EO IPSO LOCO COLLOCATI. Quanquam video oratorem statim quidem vti verbo, collocati, n° 12. Armatos vt collocati fuerant retinere.

AB ISTO IPSO ADOLESCENTE EXISTIMAVI ESSE CORRVPTVM) Delerem, EXISTIMAVI. Sequitur enim bene. AB ISTO IPSO ADOLESCENTE ESSE CORRVPTVM, HAC SVSPITIONE SVM

PER-

PERCVLSVS. Ecce autem Lambino quoque videtur idem. Sed & Mureto idem videri, idem scribit. Libros etiam veteres & suos, & Mureti ad eam rem citat. Atqui ego cùm coniecturam exponerem meam, nec Muretum vidi, nec Lambinum, nec codices eorum. Nunc video à Manutio nihil mutari. Ego interea vel in meo, quod dudum inueni, persisto, vel iam Lambino & Mureto assentio.

NON MVLTVM RES ABHORREBAT) Mallem, ABHORREBIT. Vt hæc scilicet ad expositionem eiusdem illius suspitionis pertinere videantur. Vt enim suprà dixit, subornabit, & finget, ita hîc, ABHORREBIT. Quod mihi quidem non ineleganter inuentum, nec insciтè huic loco adscriptum videretur, si idem aliis videretur. Videbitur autem, puto, si cum verbis ipsis orationis diligentius conferetur.

AT ID FIERI POTVIT, PRIMO OCCVLTIVS IN POTIONE, VEL IN CIBO, DEINDE ETIAM IMPVNIVS FIT, QVOD CVM EST FACTVM, NEGARI POTEST) ID FIERI, venenum propinari. Cætera ferè legerem sic. AT ID FIERI POTVIT PRIMO OCCVLTIVS, IN POTIONE, VEL IN CIBO, DEINDE ETIAM IMPVNIVS, ID QVOD CVM ESSET FACTVM, NEGARI POSSET. Vel potius sic. DEINDE ETIAM IMPVNIVS. ETENIM IMPVNIVS FIT, QVOD, CVM EST FACTVM, NEGARI POTEST. Vt ex vno, IMPVNIVS, ad aliud vicinum, IMPVNIVS, transitum fuerit. Vel potius sic. DEINDE ETIAM IMPVNIVS, VT QVOD CVM EST FACTVM NEGARI POTEST. Poterat id, inquit, fieri impunius, vt ferè sunt ea omnia, quæ cum facta sunt negari possunt. Hæc dicenda esse existimaui, siquidem lectioni vulgatæ nihil demendum, nihil detrahendum sit. Mihi verò nescio quomodo illa suspitio incidit, verba illa, IN POTIONE VEL IN CIBO, & item illa, FIT, QVOD CVM FACTVM EST NEGARI POTEST, vix Ciceronis germana videri. vtrumque enim glossema esse videtur, ad singula illa quæ proximè præcesserunt, appositum. Quàm enim multò melius sonat, cùm legis. AT ID FIERI POTVIT PRIMO OCCVLTIVS, DEINDE ETIAM IMPVNIVS. Et mox explicat vtrumque; primùm quidem, quomodo impunius, quia, SI PALAM INTERFE-

CISSET, OMNIVM ARMA IN SE CONVERTISSET. Deinde, quomodo occultius, quia, SI VENENO INTERFECISSET, OMNES HOMINES CELARE POTVISSSET. Verba autem illa, IN POTIONE VEL IN CIBO, quónam quæso pertinent? Quid est enim extra cibum & potionem, in quo venenum tam facilè præberi poſsit? an verò etiam ipſum per ſe, quaſi ſine aliqua eſca præberi ſolet? Deinde autem illa quoque. QVOD CVM FACTVM SIT, NEGARI POTEST, magis equidem pertinere videntur ad id quod occultius fit, quàm ad id quod impunius: cùm tamen ad verbum, IMPVNIVS, adhæſerint.

ORATIO.

XII. CICERO. *QVod igitur & occultius conari, & efficere cautius potuit, id tibi et medico callido & ſeruo, vt putabat, fideli non credidit: de armis, de ferro, de inſidiis celare te noluit? at quàm feſtiuè crimen cõtexitur? tua te, inquit, eadẽ, quæ ſemper, fortuna ſeruauit. Negauiſti tum te inſpicere velle. Quid poſtea? an Deiotarus re illo tempore non perfecta, continuò dimiſit exercitũ? nullus erat alius inſidiandi locus? at eodẽ te, cùm cœnauiſſes, rediturum dixeras: itaq; feciſti. Horam vnam aut duas eodem loco armatos, vt collocati fuerant, retinere magnum fuit? Cùm in conuiuio comiter & iucundè fuiſſes, tum illuc iuiſti vt dixeras. Quo in loco Deiotarum talem erga te cognouiſti, qualis Rex Attalus in P. Africanum fuit:*

fuit: cui magnificentissima dona, vt scriptũ legimus, vsq; ad Numantiam misit ex Asia: quæ Africanus inspectãte exercitu accepit. Quod cùm præsens Deiotarus regio & animo & more fecisset, tu in cubiculum discessisti.

NOTAE.

ET MEDICO CALLIDO) Sic enim cautius effecisset. PATRIC.

ET SERVO, VT PVTABAT, FIDELI) Sic enim perfecisset occultius. Addit autem singulari iudicio, illud, VT PVTABAT. Nam infrà ostendit infidelem fuisse.

DE ARMIS, DE FERRO) Credibile, inquit, non est de ferro te celatum non esse à Deiotaro, cùm fueris celatus de veneno. Verisimilius enim multò erat, de veneno tibi concreditum fuisse, quàm de armis & ferro. Ergo cùm de veneno, quod facilius tentari potuit, animum tibi suum non credidit; non est verisimile, de ferro, re omnium difficilima, aliquid eum cogitasse.

INSPICERE VELLE) ea scilicet quibus te Deiotarus constituerat munerare.

ITAQVE FECISTI) Duobus verbis, ITA QVE. Et ita.

COMITER ET IVCVNDE FVISSES) Acceptus, vel, habitus, putet fortè aliquis addendum esse. Ego nihil muto. Sic enim loquimur. Fui ad cœnam comiter & iucundè. Vel est aduerbium pro nomine. COMITER ET IVCVNDE, pro comis & iucundus.

ORATIO.

OBsecro C. Cæsar repete temporis illius memoriam: pone illum ante oculos diem: vultus hominum XIII. CICERO.

num te intuentium atque admirantium recordare. Num quæ trepidatio? num qui tumultus? num quid, nisi moderatè, nisi quietè, nisi ex hominis grauißimi & sanctißimi disciplina? quid igitur causæ excogitari potest, cur te lautum voluerit, cœnatum noluerit occidere? In posterum, inquit, diem distulit, vt, cùm in castellum Luceium ventum esset, ibi cogitata perficeret. Non video causam loci mutandi: sed tamen acta res criminose est. Cùm, inquit, vomere post cœnam velle te dixisses, in balneū te ducere cœperunt. Ibi enim erant insidiæ. At te eadem tua fortuna seruauit: in cubiculum te ire malle dixisti.

NOTAE.

PATRIC. SED TAMEN ACTA RES CRIMINOSE EST) ita est acta vt criminationi sit obnoxia. Quid si, SED TAMEN TOTA RES CRIMINOSA EST, i. conficta sic, vt pateat criminationi. Quid si etiam, ESTO, pro, EST.

VOMERE POST COENAM TE VELLE DIXISSES) Vomere. Vt si quis apud nos dicat, dormire, vel ludere. Ita erat hoc veteribus atque adeò Cæsari ipsi vsitatum. Ex quo dixisse illud videtur Seneca. Placere sibi cibum, qui non sit rediturus qua intrauerat.

ORATIO.

XIIII. CICERO. *DII te perdant fugitiue: ita non modò nequam et improbus, sed & fatuus & amens es. Quid? ille*

ille signa ænea in insidiis posuerat, quæ è balneo in cubiculum transire non possent? Habes crimina insidiarum: nihil enim dixit amplius. Horum, inquit, eram conscius. Quid tum? ita demens ille erat, vt eum, quem conscium tanti sceleris habebat, à se dimitteret. Romam etiam mitteret, vbi & inimicissimum sciret esse nepotem suum, & C. Cæsarem, cui fecisset insidias, præsertim cùm is vnus esset, qui posset de absente se vindicare? Et fratres meos, inquit, quòd erant conscii, in vincula coniecit. Cùm igitur eos vinciret, quos secum habebat, te solutum Romam mittebat, qui eadem scires, quæ illos scire dicis.

NOTAE.

SED ET FATVVS) SED ETIAM FATVVS. PATRIC.

TRANSIRE) Acutè simul & lepidè. De signis, vt de hominibus. De inanimatis, vt de animatis ipsis. Quid ita? Verbo enim ad signa illa ænea respicit, quorum modò fecit mentionem: cogitatione autem respicit ad homines illos armatos, qui dicuntur fuisse in insidiis collocati.

NIHIL ENIM DIXIT AMPLIVS) DIXIT, Phidippus scilicet, in hoc insidiarum factarum crimine. AMPLIVS, autem præterquam id quod dixi. Nam quod statim sequitur, appendicem esse rei existimo, non rem ipsam. Quod autem sequitur aliquanto pòst n°. 15. ad alias accusationis partes pertinet, non ad crimen insidiarum.

QVID TVM? ITA DEMENS ILLE ERAT) Mallem. QVID TV? AN ITA DEMENS ILLE ERAT. QVID TV? autem, subaudi, blateras: vel quid eiusmodi

CVM IS VNVS ESSET, QVI POSSET DE ABSENTE SE VINDICARE) Suprà dixit n°. 9. Si necasset Cæsarem, omnes reges, omnes liberos populos, omnes seruos, omnes prouincias, omnia deniq; omnium arma excitaturum illum contra se vnum fuisse. Et paulò post n°. 12. Si te, inquit, palàm interemisset, omnium in se gentium, non solùm odia, sed etiam arma conuertisset. Quomodo igitur hic vnum Cæsarem esse dicit, qui posset se de absente vindicare? Nisi fortè dicas, cæteros omnes, in præsentem tantùm homicidam Deiotarum, aliquod signum vindictæ statuere potuisse, vnum Cæsarem etiam in absentem. Videndum igitur. Cùm hæc scripsissem, vidi Lambinum, qui se in eius loci emendatione, primùm Victorio assentiri scribit, ac legere ferè, INDICARE, pro, VINDICARE. Deinde suam quoque coniecturam adscribit, &, IVDICARE, legendum videri admonet: quod in vno ex veterib. suis manuscriptis liquidò se affirmat reperisse. Inter quas ego quidem vtriusque coniecturas, illud interesse perspicio, quòd si legas cum Victorio, INDICARE, sermo erit de Phidippo. CVM IS VNVS, intellige Phidippus. Sin legas cum Lambino, IVDICARE, de Cæsare dictum accipiemus. CVM IS VNVS, Cæsar scilicet. Vtrumque non displiceret, nisi quòd verba illa, DE SE ABSENTE, me tamen nonnihil torquent, cùm in vtraque expositione, tum in Lambiniana etiam magis. Pro Victorio enim sic exponerem. Vnus erat Phidippus, qui de Deiotaro posset Cæsari indicare: hoc etiam magis quòd de absente. Sed tamen sic quoq; non desinunt me verba hæc torquere. Si libros Victorii illos posterioris editionis vidissem, de quibus Lambinus facit mentionem, facilius fortasis quid mihi sentiendũ sit, statuere potuissem. Nunc sustineo sententiam. Atqui modò quidem libros Victorii iam vidi, quos concupiui. Quid quæris? iterum dico, Victorium nõ omninò displicere. Vide cap. 12. lib. 28. var. lect. Statim enim vt librum accepissem, locum inquisiui. Cùm autem in eo libro euoluendo longius progressus essem, incidi in librum 31. cap. 11. quo quidem in loco vir optimus & doctissimus amicissimam nostri nostrarúmque, quæ olim iam in lucem prodierunt, in Ciceronis Aratea emendationum facit mentionem. In quo ipso, cùm satis animum ipsius erga nos amauissemus, cogitare euestigio cœpimus, si quam homini amicissimo & eruditissimo gratiam referre posse videremur. Hæc igitur cogitantibus nobis, &

hanc

hanc ipsius, loci istius coniecturam expendentibus, tentare visum est, possemusne eam aliqua eiusmodi ratione adiuuare, vnde posset hominibus persuaderi, &, INDICARE, hoc loco legendum, & totum sermonem hunc, de Phidippo potius, quàm de quouis alio intelligendum esse. Sed cùm in eo genere aliquid iam tentando inuenissemus, obuersabantur exaduersò animo nostroquædam, quæ totum illud quidquid est, premere nos etiamtum diutius suaderent, nec cogitationem illam nostram tam facile in vulgus proferre paterentur. Verùm nos qui coniecturas scribere, non leges nos ferre memineramus, depromendũ tandem hoc loco esse, quidquid illud esset, existimauimus: iudicium de eo tum nobis ipsis in posterum, tum Victorio ipsi & doctis omnibus duximus esse relinquendum. Reuera enim hanc quoq; coniecturam nostram quam propositur i sumus, iisdẽ illis incommodis omnibus premi intelligimus, de quibus paulo antè est dictum. Ne longum faciam. Quid quæso docti dicerent, si pro, CVM IS VNVS ESSET, legerem, CVM IS SERVVS ISSET, nulla ingenti à vulgata scriptura discessione, emolumento autem insigni illo, quòd ad eum quidem modum, manifestius iam omninò, & sine vlla dubitatione planè, id quod de Cæsare dictum esse videri potuisset, de seruo Phidippo intelligeretur. In emendatione enim ipsa, nullam magnam scripturæ mutationem intercessisse, vel inde liquet, quod cùm scriptũ fuisset, Cùm iSeruus, vel potius cum abbreuiatione, Cùm iS3uus, factum ex eo est, Cùm is vnus: ob euanescentem scilicet abbreuiationem ipsam & literam vnam. Ergo, CVM IS SERVVS, Phidippus scilicet, ISSET, hoc autem est, iuisset, Romam missus à Deiotaro domino. Sed hæc, vt dixi, alii viderint, vel nos etiam ipsi aliàs. Hæc enim hoc adhuc tempore, non aliter, quàm quasdam quasi Apellis tabulas in vulgum proponimus: vt si quis sutor, aliquid fortè interim velit de crepida, taciti & attenti audiamus, nósque adeò ipsos corrigamus. Hi enim sumus, qui nostra omnia non nisi lentissimè probare soleamus.

ET FRATRES MEOS) Quia Orator dixit, vnum Phidippum fuisse, qui insidiarum esset conscius, excipit quasi Phidippus ipse modò, & ait. Fratres etiam suos conscios, & ideo in vincula coniectos à Deiotaro fuisse.

CVM IGITVR EOS VINCIRET) Respondet ad obiectionem per Ironiam.

ORATIO.

XV. CICERO. *REliqua pars accusationis duplex fuit: vna, Regem semper in speculis fuisse, cùm à te animo esset alieno: altera, exercitum eum contra te magnum comparasse. De exercitu dicam breuiter, vt cætera. Nunquam eas copias Rex Deiotarus habuit, quibus inferre bellum populo R. posset, sed quibus fines suos ab excursionibus hostium & latrocinijs tueretur, & imperatoribus nostris auxilia mitteret. Atque antea quidem maiores copias alere poterat, nunc exiguas vix tueri potest. At misit ad Cælium nescio quem, sed eos, quos misit, quòd ire noluerunt, in vincula coniecit. Non quæro, quàm verisimile sit, aut non habuisse Regem, quos mitteret, aut eos, quos misisset, non paruisse: aut, qui dicto audientes in tanta re non fuissent, eos vinctos potius, quàm necatos fuisse. Sed tamen cùm ad Cælium mittebat, vtrum causam illam victam esse nesciebat? an Cælium istum magnum hominem putabat, quem profectò is, qui optimè nostros homines nouit, vel quia nosset, vel quia non nosset, contemneret.*

NOTAE.

PATRIC. REGEM SEMPER IN SPECVLIS FVISSE) i.

tuas

tuas omnes actiones obseruasse, & speculatores tenuisse, qui, vt infrà n°. 17. loquitur, rumores de te exciperent & ad se referrent.

NVNC EXIGVAS VIX TVERI POTEST) Hæc ad misericordiam, in Cæsaris animo commouendam, dicuntur: qui eum aliquot prouinciis multatum, regem nomine tantùm quasi reliquerat.

AT MISIT) Hoc vnum est, quod ad specularum crimen pertinet. Non puto tamen hoc membrum integrum esse.

MISIT AD CAELIVM NESCIO QVEM) An, MISIT NESCIO QVEM, an, AD NESCIO QVEM CAELIVM. Vtrumque, ex iis quæ sequuntur defendi potest. Posterius tamen præfero. Sic enim statim de eodem, quasi de non magno, imò de contempto homine. Et alibi de hoc eodem, ad eundem modum. 12. Fam. 43. Quo iste nescio qui Cælius Bassus erumperet. Nisi quòd alibi Cælium, alibi Cæcilium vocat. Sed Lambinus in veteribus passim libris, Cæcilium, scribi non, Cælium, admonet.

IS QVI OPTIME) Deiotarus.

VEL QVIA NOSSET) miserum enim esse cognouisset.

VEL QVIA NON NOSSET) cùm optime omnes nostros, alicuius precii homines nouisset. Qui enim optime nostros alicuius precii ac nominis homines nosset, is eum, quem non nosset, miserum profectò & nihili hominem deputabat.

CONTEMNERET) nec eius videlicet opera ad rem tantam vteretur.

ORATIO.

ADdidit etiam illud, equites non optimos misisse tibi. Veteres, credo, Cæsar: nihil ad tuũ equitatum; sed misit ex ijs, quos habuit, electos. Ait nescio quem ex eo numero seruum iudicatum. Non arbitror: non audiui. Sed in eo, etiam si accidisset, culpam Regis nullam fuisse arbitrarer. Alieno autem à te XVI. CICERO.

 animo

animo fuit: quo modo? sperauit, credo, difficiles tibi Alexandriæ fore exitus propter regionis naturam & fluminis. At eo ipso tempore pecuniam dedit, exercitum aluit: quem Asiæ præfeceras, ei nulla in re defuit: tibi victori non solùm ad hospitium, sed ad periculum etiam, atque ad aciem præsto fuit. Secutum est bellum Africanum. Graues de te rumores sparsi, qui etiam furiosum illum Cælium excitauerunt, quo tum erga te Rex animo fuit, qui auctionatus sit, seséque & filium suum expoliare maluerit, quàm tibi pecuniam non subministrare? At eo, inquit, tempore ipso Niceam, Ephesúmq; mittebat, qui rumores Africanos exciperent, & celeriter ad se referrent.

NOTAE.

PATRIC. ADDIDIT ETIAM ILLVD) accusator scilicet.

EQVITES NON OPTIMOS MISISSE TIBI. VETERES, CREDO CAESAR) Mallem ferè. MISISSE TIBI CAESAR, VETERES CREDO, NIHIL AD TVVM EQVITATVM.

SED MISIT) Respondet misisse quales haberet: imò quales ex iis quos haberet, elegisset. Quanquam ego, LECTOS, penè mallem quàm, ELECTOS.

SERVVM IVDICATVM) i. iudicatum fuisse seruum.

ALIENO AVTEM A TE ANIMO) Quid si, ALIENO AT ENIM A TE. Sed, AT ENIM A TE, sonus non optimus. Verùm ne ille quidem, AVTEM A TE, optimus censeri potest. Quid igitur si. ALIENO AT ENIM ANIMO, vt subaudiatur, à te, quod frequens est.

ALE-

ALEXANDRIAE FORE EXITVS) Quid si, ALEXANDRIA.

AT EO, INQVIT, TEMPORE) Alterum, quod ad speculas pertinet.

ORATIO.

XVII. CICERO.

Itaque cùm esset ei nuntiatum, Domitium naufragio perijsse, te in castello circumsideri: de Domitio dixit versum Græcum eadem sententia, qua etiam nos habemus Latinum: Pereant amici, dum vnà inimici intercidant. Quod ille, si esset tibi inimicissimus, nunquam tamen dixisset. Ipse enim mansuetus, versus immanis. Quî autem Domitio poterat esse amicus, qui tibi esset inimicus? tibi porrò inimicus cur esset, à quo, cùm vel interfici belli lege potuisset, Regem & se & filium suum cõstitutos esse meminisset? Quid deinde, furcifer quò progreditur? ait hac lætitia Deiotarum elatum, vino se obruisse, in conuiuióque nudum saltauisse. Quæ crux huic fugitiuo potest satis supplicij afferre? Deiotarum saltantem quisquam, aut ebriũ vidit vnquam? omnes sunt in illo regiæ virtutes, quod te Cæsar ignorare non arbitror, sed præcipuè singularis & admiranda frugalitas. Etsi hoc verbo scio laudari Reges non solere.

NO-

NOTAE.

PATRIC. VERSVS IMMANIS) Versus modò prolatus ex poëta Latino nescio quo.

OMNES SVNT IN ILLO REGIAE VIRTVTES) Quia statim in his virtutibus numerat frugalitatem, quam non esse ex regiis virtutibus, ipse statim non obscurê fatetur, detur mihi hæc venia, vt, quod sentio, dicam, & tamen suo quemq; sensu abundare permittam. Vel delerem, REGIAE, vel commutarem in EGREGIAE, quod etiam alibi notare me memini in eodem hoc verbo. Quod dicimus, id ita esse, manifestissimè, vt arbitramur, conuincit illud, quod statim sequitur. Cæteræ, inquit, regiæ sunt laudes, illa priuata est. Loquitur autem ibi de frugalitate. Quam tamen hoc loco, si scriptura vulgata maneret, inter præcipuas regias virtutes nominaret.

ORATIO.

XVIII. CICERO. *FRugi hominem dici, non multum habet laudis in Rege: fortem, iustum, seuerum, grauem, magnanimum, largum, beneficum, liberalem, hæ sunt regiæ laudes: illa priuata est. Vt volet, quisq; accipiat: ego tamen frugalitatē, id est, modestiā & temperantiam, virtutem esse maximam iudico. Hæc in illo est ab ineunte ætate, tum à cuncta Asia, tum à magistratibus Legatísque nostris, tum ab equitibus R. qui in Asia negotiati sunt, perspecta & cognita. Multis ille quidem gradibus officiorum erga Remp. nostram ad hoc regium nomen ascendit: sed tamen quicquid à bellis populi R. vacabat, cum hominibus nostris*

nostris consuetudines, amicitias, res, rationésque iungebat: vt non solùm Tetrarcha nobilis, sed optimus paterfamilias, & diligentissimus agricola, & pecuarius haberetur.

NOTAE.

AB INEVNTE AETATE TVM A CVNCTA ASIA) Post, AETATE, coma subiungo. PATRIC.

OPTIMVS PATERFAM. ET DILIGENTISSIMVS AGRICOLA ET PECVARIVS) Prius genus, post id species duæ.

ORATIO.

XIX. CICERO.

QVi igitur adolescens nondũ tanta gloria præditus nihil vnquam nisi seuerissimè & grauissimè fecerit, is ea existimatione, eâque ætate saltauit? imitari potius Castor aui tui mores disciplinámque debebas, quàm optimo & clarissimo viro fugitiui ore maledicere. Quòd si saltatorem auum habuisses, neque eum virum, vnde pudoris, pudicitiæque exempla peterentur, tamen hoc maledictum minimè in illam ætatem conueniret. Quibus ille studijs ab ineunte ætate se imbuerat, non saltandi, sed bene vt armis, optimè vt equis vteretur: ea tamen illum cuncta iam ætate exacta defecerant. Itaque

Deiotarum cum plures in equum sustulissent, quòd hærere in eo senex posset, admirari solebamus. Hic verò adolescens, qui meus in Cilicia miles, in Græcia commilito fuit, cùm in illo nostro exercitu equitaret cum tuis delectis equitibus, quos vnà cum eo ad Pompeium pater miserat, quos concursus facere solebat? quàm se iactaret? quàm se ostentare? quàm nemini in illa causa studio & cupiditate concedere? cùm verò, exercitu amisso, ego, qui pacis auctor semper fui, post Pharsalicum autem prælium suasor fuissem armorum non deponendorum, sed abijciendorum hunc ad meam auctoritatem non potui adducere, quod & ipse ardebat studio ipsius belli, & patri satisfaciendum esse arbitrabatur.

NOTAE.

PATRIC. QVI IGITVR ADOLESCENS NONDVM TANTA GLORIA PRAEDITVS, NIHIL VNQVAM NISI SEVERISSIME ET GRAVISSIME FECERIT, IS EA EXISTIMATIONE EAQVE AETATE SALTAVIT) Pulcherrima periodus, in qua quidem hæc sibi opponuntur. Primùm saltatio opponitur grauissimis omnibus actionibus. In quo ipso duo sunt, tum, quòd vnũ omnibus opponatur, tum quòd saltatio grauitati. Deinde opponitur adolescens ætati maturæ. Deinde, nondum præditus tanta gloria, opponitur maximæ existimationi. Postremò, per quandã venustã admodũ oppositionẽ, adolescentiæ ipsi, seuerissimè factũ adscribitur, & ei qui nondũ summa esset gloria, omnia grauitatis singu-

laris plenissima tribuuntur. τὸ, PRAEDITVS, videndũ an vacare possit. Illud etiam, SALTAVIT, videndũ an in, SALTABIT, commutari possit. Vt sit SALTABIT, id est, saltauisse dici poterit: venusta admodum sententia. Certè V, & B, apud veteres librarios confundi notissimum est. Sed hæc mittamus.

QVOD SI SALTATOREM AVVM HABVISSES) SALTATOREM, id est, eum qui artem saltandi non modò exerceret assiduè, sed etiam penè profiteretur. Interdum etiam propemodum legerem (scribo enim quidquid in buccam, quod aiunt) QVOD SI VIRVM SALTATOREM AVVM HABVISSES, NEQ. EVM VNDE PVDORIS, &c. Virum saltatorẽ, eum scilicet, qui virili ætate ipsa saltatione vteretur.

TAMEN HOC MALEDICTVM IN ILLAM AETATEM MINIME CONVENIRET) Hoc est, Si talibus esset moribus, tamen propter ætatem, talis certè esse non posset, vt senex saltaret.

QVIBVS ILLE STVDIIS, &c.) Aliquid est quod offendat. Tale quiddam mallem. Hoc maledictum minimè in illam ætatem conueniret: quòd quibus ille studiis ab ineunte ætate se imbuerat, non saltandi, sed bene vt armis, optime vt equis vteretur, ea etiam illum cuncta, ætate iam exacta, defecerant. Pro illo etiam, NON SALTANDI, mallem, NON VT SALTARET, Sequitur enim, SED BENE VT ARMIS, OPTIME VT EQVIS VTERETVR. Aut certè totum illud, NON SALTANDI, SED, aliunde infarctum est. Addam vnum, vt gustum aliquem interea proponam obseruationum mearum in scriptoribus antiquis. Cùm dicit Cicero, IN ILLAM AETATEM, non significat aliquam remotam ætatem Deiotari, ab illis, quibus tum causa hæc agebatur, temporibus, sed ipsam illam, qua tum esset cùm hæc agerentur. Dicit tamen, ILLAM, quia loquitur de absente Deiotaro. Qui quidem præsens tum si adfuisset, istam ætatem, potius quàm, illam, à Cicerone audiuisset. Ergo, ILLAM AETATEM: qua nunc scilicet Deiotarus est, vbicunque est. Lamb. hic ex vet. lib. legit. EA TVM ILLVM IAM AETATE DEFECERANT. Delet videlicet, CVNCTA EXACTA.

HIC VERO ADOLESCENS) Castor, in quem no-

ſter artificioſè admodum hoc loco inuehitur. Verbis enim vtcunque interdum laudat, interdum excuſat, re ipſa vehementer pungit & vulnerat.

PACIS AVCTOR SEMPER FVI) Vltima vox abeſſe poteſt, an verò etiam debet. Pendet enim ſententia vſque ad verbum, FVISSEM.

ORATIO.

XX. CICERO. *FOElix iſta domus, quæ non impunitatem ſolùm adepta ſit, ſed habet etiam accuſandi licentiam: calamitoſus Deiotarus, qui ab eo, qui in iiſdem caſtris fuerit, non modò apud te, ſed etiam à ſuis accuſetur. Vos veſtra ſecunda fortuna Caſtor non poteſtis ſine propinquorum calamitate eſſe contenti. Sint ſanè inimicitiæ, quæ eſſe non debebant. Rex enim Deiotarus veſtram familiam abiectam & obſcuram è tenebris in lucem reuocauit.*

NOTAE.

PATRIC. FELIX ISTA DOMVS) inuidioſè in Caſtorem, miſericorditer erga Deiotarum. Ex quo ſequitur, id quod ſequitur. De Deiotaro quidem miſericorditer. Calamitoſus Deiotarus. De Caſtore autem inuidioſè. Vos veſtra ſecunda fortuna, Caſtor, non poteſtis ſine propinquorum calamitate eſſe contenti.

SED HABET ETIAM ACCVSANDI LICENTIAM) Malim, HABEAT ETIAM ACCVSANDI LICENTIAM. Atqui Lambinus, hoc verbum, HABET, abeſſe ſcribit à manuſcriptis.

NON MODO APVD TE, SED ETIAM A SVIS) Graue

Graue est Deiotaro apud te accusari, cuius gratiam omnes plurimi faciunt, & cui placere gestiunt. Sed grauius est accusari à suis, qui eum tueri ac tegere debuerunt. Est autem, A SVIS, non tantùm quòd à seruo & nepote, sed etiam quòd ab iis, qui secum in iisdem castris fuissent.

VOS VESTRA SECVNDA FORTVNA CASTOR NON POTESTIS SINE PROPINQVORVM CALAMITATE ESSE CONTENTI) Legerem penè cum interrogatione. Cûm autem dicit, VOS VESTRA CASTOR, in vno Castore, omnes alloquitur eiusdem sceleris conscios & adiutores.

SINT SANE INIMICITIAE) Inter Deiotarum & te familiamq́ue vestram, inquit. Hoc autem quod sic dicit, ibi demum perficitur 21. Tamen inimicitias hominum more gerere poteratis.

VESTRAM FAMILIAM) Tuam & patris, qui Deiotari filiam duxit vxorem matrem tuam.

REVOCAVIT) Fortè melius, VOCAVIT, vel, EVOCAVIT. Ne aliquando claram fuisse eorum familiam, significare videatur.

ORATIO.

XXI. CICERO.

QVis tuum patrem antea, qui esset, quàm cuius gener esset, audiuit? sed quamuis ingratè & impiè necessitudinis nomen repudiaretis, tamen inimicitias hominum more gerere poteratis: non ficto crimine insectari, non expetere vitam, non capitis accersere. Esto, concedatur hæc quoque acerbitatis & odij magnitudo. Adeóne, vt etiam omnia vitæ, salutísque communis atq; etiam humanitatis iura violentur? seruum solicitare verbis, spe, præmiisq;

mijsq; corrumpere, abducere domum, contra dominum armare, hoc est, non vni propinquo, sed omnibus familijs bellum nefarium indicere. Nam ista corruptela serui si non modò impunita fuerit, sed etiam à tanta auctoritate approbata: nulli, nulli parietes nostram salutem, nullæ leges, nulla iura custodient. Vbi enim id, quod intus est, atque nostrum, impunè euolare potest, contráque nos pugnare: fit in dominatu seruitus, in seruitute dominatus.

NOTAE.

PATRIC. HOMINVM MORE) Vide 1. Tusc. 59. humana vitia.

NON FICTO CRIMINE INSECTARI) Mutuò scilicet alter alterum.

ESTO) Amarem, SED ESTO.

ODII MAGNITVDO) Quid si, MAGNITVDINI. Et suprà vel, CONCEDANTVR, pro, CONCEDATVR: vel, HOC, pro, HAEC.

ADEONE) Subaudi, concedi debet. Et legerem. ADEONE VERO: vel, ADEONE AVTEM, vel quid simile. Nam illud, ETIAM, in illo, ETIAM OMNIA VITAE, abundare videtur, ideo quòd statim sequitur, ATQ. ETIAM HVMANITATIS IVRA.

VITAE SALVTISQ. COMMVNIS ATQ. ETIAM HVMANITATIS) Mallem ferè, VITAE SALVTIS ATQ. ETIAM COMMVNIS HVMANITATIS.

SERVVM SOLICITARE VERBIS, SPE, PRAEMIISQVE CORRVMPERE) Mallem sic. SERVVM SOLICITARE: VERBIS, SPE, PRAEMIISQVE COR-

CORRVMPERE. Præpositis scilicet duobus punctis ante, VERBIS.

SERVVM ABDVCERE DOMVM) à pedibus scilicet Legatorum, vt suprà dixit n°. 1. Vide illud, Seuere seducere. Epistolis famil. lib. 1.

A TANTA AVCTORITATE) Quanta est scilicet Cæsaris auctoritas, Quid tamẽ si potius, TANTA AVCTORITATE, sine præpositione. Et quidem propemodum sic volo, sic iubeo.

VBI ENIM ID QVOD INTVS EST ATQ. NOSTRVM, IMPVNE EVOLARE POTEST, CONTRAQVE NOS PVGNARE) Huic quod, INTVS EST, opponitur, EVOLARE, Illi, QVOD NOSTRVM EST, opponitur eleganter CONTRA NOS PVGNARE. Et tamen videndum esse puto. Sensus quidem planus est.

ORATIO.

O Tempora, ô mores: Cn. Domitius ille, quem nos pueri Consulem, Censorem, Pontificem maximum vidimus, cùm Tribunus pl. M. Scaurum principem ciuitatis in iudicium populi vocauisset, Scaurique seruus ad eum clàm domum venisset, & crimina in dominum delaturum se esse dixisset, comprehendi hominem iussit, ad Scaurúmque deduci. Vide quid intersit: etsi iniquè Castorem cum Domitio comparo: sed tamen ille inimico seruum remisit, tu ab auo abduxisti: ille incorruptum audire noluit, tu corrupisti: ille adiutorem seruum contra dominum repudiauit, tu etiam accusatorem adhibuisti. At semel iste est corruptus à vobis? nonne, cùm XXII. CICERO.

cùm eſſet productus teſtis, & cùm tecũ fuiſſet, refugit ad Legatos? nónne etiam ad hunc Cn. Domitiũ venit? nónne audiente hoc Ser. Sulpitio, clariſſimo viro, qui tum caſu apud Domitium cœnabat, & hoc T. Torquato, optimo adoleſcente, ſe à te corruptũ, tuis promiſſis in fraudem impulſum eſſe confeſſus eſt.

NOTAE.

PATRIC. ETSI INIQVE CASTOREM CVM DOMITIO COMPARO, SED TAMEN ILLE INIMICO SERVVM REMISIT) Diſtinguerem. COMPARO, SED TAMEN. ILLE INIMICO, &c. Eſt enim in illo, SED TAMEN. apoſiopeſis nota, & venuſta.

ILLE ADIVTOREM SERVVM CONTRA DOMINVM REPVDIAVIT, TV ETIAM ACCVSATOREM ADHIBVISTI) Quid ſi legam, ADIVTOREM SVVM, CONTRA DOMINVM REPVDIAVIT, TV ETIAM ACCVSATORI ADHIBVISTI. Ille, inquit, eum qui ipſi venerat in ſubſidium, repudiauit, tu non modò à te non repudiauiſti, ſed etiam alteri adiunxiſti.

AT SEMEL) Obiectio. Quid autem ſi, AN SEMEL.

NONNE CVM) Reſponſio. Non ſemel corruptum eſſe à te oportuit, quia ſæpè, nunc tecũ eſſe, nunc etiã à te teſtis produci, viſus eſt: nunc rurſus viſus eſt cum legatis, & cum aliȷs, apud quos ſe eſſe à te corruptum fatebatur.

REFVGIT AD LEGATOS) Deiotari, à quorum pedibus abſtractus per te erat.

ORATIO.

XXIII. CICERO. Q*Væ eſt iſta tam impudens, tam crudelis, tam immo-*

immoderata inhumanitas? idcirco in hanc vrbem venisti, vt huius vrbis iura et exempla corrumperes, domesticáque tua inhumanitate nostræ ciuitatis humanitatem inquinares? At quàm acutè collecta crimina? Blesamius, inquit, (eius enim nomine optimi hominis, nec tibi ignoti, maledicebat tibi) ad Regem, inquit, scribere solebat, te inuidiosè tyrannum existimari, statua inter Reges posita, animos hominũ vehementer offensos, plaudi tibi non solere. Nónne intelligis Cæsar, ex vrbanis maleuolorũ sermunculis hæc ab istis esse collecta? Blesamius tyrannum Cæsarem scriberet? multorum enim ciuium capita viderat: multos iussu Cæsaris vexatos, verberatos, necatos: multas afflictas & euersas domos: armatis militibus refertum forum: quæ semper in ciuili victoria sensimus, ea te victore non vidimus.

NOTAE.

QVAE EST ISTA TAM IMPVDENS) Adderem, TVA. Quæ est ista tua tam impudens. Sic mox. Domesticáque sua inhumanitate. PATRIC.

ICCIRCO IN HANC VRBEM VENISTI) Vel addo, S, ex fine præcedentis dictionis ad initium, & lego. SCILICET ICCIRCO. Vel lego, ICCIRCON' Cætera autem quoq; legerem ferè simpliciter sic. ICCIRCON' HVC VENISTI. Vt ex, HANC, fiat, HVC. & ex, IN, N, adhæreat ad verbum, ICCIRCO. Certè, VRBEM, abesse debere, se-

quentia indicio sunt, quæ ita habent. VT HVIVS VRBIS IVRA. VT HVIVS VRBIS IVRA ET EXEMPLA CORRVMPERES) Non audeo, sed conabor tamen. Quid si: VT HVIVS VRBIS IVRA TVO EXEMPLO CORRVMPERES: Hoc magis, quòd sequitur. Domesticáque tua inhumanitate nostræ ciuitatis humanitatem inquinares. Sed hæc tentare tantùm volui, non etiam profiteri.

BLESAMIVS, INQVIT, AD REGEM, INQVIT, SCRIBERE SOLEBAT, TE INVIDIOSE TYRANNVM EXISTIMARI) Delerem alterum, INQVIT. & pro eo verbum, INVIDIOSE, quod post tria verba sequitur, reponerem. legerémque. BLESAMIVS, INQVIT, AD REGEM INVIDIOSE SCRIBERE SOLEBAT, TE TYRANNVM EXISTIMARI. Etiam Manutius quiddam eiusmodi.

TYRANNVM EXISTIMARI) Hic colon adponerem. Est enim primum, ex acutè videlicet collectis criminibus. Secundũ ibi. Statua tua offensos homines. Tertium. Plaudi tibi non solere.

STATVA INTER REGES POSITA) Fortè scribendum. staTVA. legendum, statua tua. Infrà. Inuidendum est eius statuæ, cuius trophæis non inuidemus.

MVLTORVM ENIM CIVIVM CAPITA VIDERAT) CAPITA, truncata scilicet, & absque corpore. Est autem ironiæ quædam species, cùm dicit, visa esse, quæ nunquam visa erant sub imperio Cæsaris. Qualia sunt etiam quæ sequuntur. Quibus quidem sermonum generibus, solet ferè aliâs apponi particula, scilicet. Cuius vicem supplere hoc loco videtur, ENIM. Sic infrà 24. Valde enim inuidendum est &c. In eiusdẽmodi ironia.

EA TE VICTORE NON VIDIMVS) Vel delerem, EA, vel in, SED, commutarem. Nam illud, QVAE, quod præcedit, non ad illud refertur quod sequitur, EA NON VIDIMVS, sed ad illa, MVLTORVM CIVIVM CAPITA, MVLTOS VEXATOS, VERBERATOS, NECAtos &c.

ORATIO.

XXIIII. CICERO. *SOLVS, inquam, es C. Cæsar, cuius in victoria cecide-*

ceciderit nemo nisi armatus : & quem nos liberi in summa Reip. libertate nati non modò non tyrannũ, sed etiam clementissimum in victoria videmus ducem, is Blesamio, qui viuit in regno, tyrannus videri potest? Nam de statua quis queritur, vna præsertim, cùm tam multas videat? valde enim inuidendum est eius statuæ, cuius trophæis non inuidemus. Nam si locus affert inuidiam, nullus locus est ad statuam quidem, rostris clarior. De plausu autẽ quid respondeam? qui nec desideratus vnquam à te est, & nonnunquam obstupefactis hominibus ipsa admiratione compressus est, et fortasse eo prætermissus, quia nihil vulgare te dignum videri potest.

NOTAE.

CVIVS IN VICTORIA NEMO CECIDERIT NISI ARMATVS) Eodem modo loquitur in ea pro Marcello vel Ligario. PATRIC.

ET QVEM NOS) Fortè. ITA QVEM NOS.

IS) Quem nos clementissimum videmus.

BLESAMIO) barbaro homini à Deiotaro misso, & qui, vt hic loquitur, VIVIT IN REGNO, hoc autem est, qui non in reipub. libertate viuit, sed dominum regem habet.

QVIS QVERITVR) Fortè. QVIS QVERATVR, vt statim. Quid respondeam.

CVM TAM MVLTAS VIDEAT) tuas, alibi per vrbem positas.

VALDE ENIM) Fortè. VALDE NIMIRVM. Et quidem cum ironia. Dixi suprà. Multorum enim capita.

NAM SI LOCVS) In quo scilicet tua statua posita est. Legerem autem. IAM SI LOCVS. Si Capitolium, inquit, inuidiam facit tuæ statuæ &c.

ROSTRIS CLARIOR) In quibus tamen tua, ô Cæsar, statua aliâs est locata.

OBSTVPEFACTIS HOMINIBVS IPSA ADMIRATIONE COMPRESSVS EST) Interdum, inquit, fortasfsis non est tibi applausum, propter stuporem quendam hominum, ex admiratione tui. Dicit autem, COMPRESSVS, de eo, qui non fuit ille quidem excitatus, sed debuit cxeitari.

NIHIL VVLGARE) Plausus autem hoc tempore magnopere viluit, & vulgaris est factus.

ORATIO.

XXV. CICERO. *NIHil à me arbitror prætermissum, sed aliquid ad extremam causæ partem reseruatum. Id autem aliquid est, te vt planè Deiotaro reconciliet oratio mea: non enim iam metuo, ne tu illi succenseas: illud vereor, ne tibi illum succensere aliquid suspicere. Quod abest longissimè, mihi crede Cæsar. Quid enim retineat per te, meminit, non quid amiserit: neque se à te multatum arbitratur: sed, cùm existimaret multis tibi multa esse tribuenda, quominus à se, qui in altera parte fuisset, ea sumeres, non recusauit. Etenim si Antiochus, magnus ille Rex Asiæ, cùm postea, quàm à Scipione deuictus Tauro tenus regnare iussus esset, omnémque hanc Asiam, quæ est nunc nostra prouincia, amisisset, dicere est solitus,*

benignè

benignè sibi à populo R. esse factum, quòd nimis magna procuratione liberatus, modicis regni terminis vteretur: potest multò faciliùs se Deiotarus consolari. Ille enim furoris multam sustinuerat, hic erroris. Omnia tu Deiotaro Cæsar tribuisti, cùm & ipsi & filio nomen regium concessisti.

NOTAE.

ID ALIQVID AVTEM EST) Terentius. Id aliquid nihil est. PATRIC.

QVOD ABEST LONGISSIME) Fortè. QVOD AB EO EST LONGISSIME.

IN ALTERA PARTE FVISSET) Mollius quàm, in contraria & aduersa.

MODICIS TERMINIS) Neq; paruis neque magnis.

CVM POSTEAQVAM A SCIPIONE DEVICTVS, TAVRO TENVS REGNARE IVSSVS ESSET, OMNEMQVE HANC ASIAM AMISISSET, DICERE EST SOLITVS) Delendum vel τό, CVM, initio, vel, QVE, in illo, OMNEMQVE.

POTEST MVLTO FACILIVS) Malo. MVLTO POTEST FACILIVS. Et tamen tunc quoque aliquid deesse suspicer: saltem, IIS. Sic. Multo potest facilius se Deiotarus iis consolari. Ego autem, cùm ea quæ statim sequuntur considero, propemodum pro, FACILIVS, legendum esse dixerim. FELICIVS.

ORATIO.

XXVI.

HOc nomine retento atque conseruato, nullum beneficium populi R. nullum iudicium de se CICERO.

Senatus imminutum putat: magno animo & erecto est, nec vnquam succumbet inimicis, ne fortunæ quidem. Multa se arbitratur & peperisse antea factis, & habere in animo atque virtute, quæ nullo modo possit amittere. Quæ enim fortuna, aut quis casus, aut quæ tanta possit iniuria, omnium imperatorum de Deiotaro decreta delere? ab omnibus enim est ornatus: qui postquam in castris esse potuit per ætatem, in Asia, Cappadocia, Ponto, Cilicia, Syria bella gesserunt. Senatus verò iudicia de illo tam multa, támque honorifica, quæ publicis populi R. literis monimentísque consignata sunt, quæ vnquam vetustas obruet, aut quæ tanta delebit obliuio? quid de virtute eius dicam? quid de magnitudine animi, grauitate, constantia? quæ omnes docti atque sapientes summa, quidam etiam sola bona esse dixerunt: hísque non modò ad bene, sed etiam ad beatè viuendum contentam virtutem esse.

NOTAE.

PATRIC. ET PEPERISSE ANTEA FACTIS, ET HABERE IN ANIMO ATQVE VIRTVTE, QVAE) Mallem. ET PEPERISSE ANTE FACTIS ATQVE VIRTVTE, ET HABERE IN ANIMO, QVAE, &c. Vel. ET PEPERISSE ANTEA VIRTVTE ATQ. FACTIS, ET HABERE IN ANIMO,

QVAE

QVAE TANTA POSSIT INIVRIA, OMNIVM IMPERATORVM DE DEIOTARO DECRETA DELERE?) Non, INIVRIA OMNIVM IMPERATORVM: sed, DECRETA OMNIVM IMPERATORVM. Quanquam cetera quoque in hac eadem periodo videnda esse puto. Nam & pro, TANTA, penè legam, TANDEM, vel quid simile. Cetera etiam emendatione indigere non valde negauerim.

AB OMNIBVS ENIM EST ORNATVS: QVI POSTQVAM IN CASTRIS ESSE POTVIT, IN ASIA, CAPPADOCIA, PONTO, CILICIA, SYRIA, BELLA GESSERVNT) Expono. AB OMNIBVS ENIM EST ORNATVS, QVI POSTQVAM IN CASTRIS, &c. Hoc est. Ab omnibus est ornatus, qui in illis locis bella gesserunt, postquâm is per ætatem in castris versari potuit.

QVAE TANTA DELEBIT OBLIVIO) Fortè QVAE TANDEM DEL. EB. OBL. Dixi modò Quæ tanta iniuria.

ORATIO.

HÆc ille reputans, & dies & noctes cogitans, non modò tibi non succenset (esset enim non solùm ingratus, sed etiam amens) verùm omnem tranquillitatem & quietem senectutis acceptam refert clementiæ tuæ. Quo quidem animo cùm antea fuerit, tum non dubito quin tuis literis, quarum exemplum legi, quas ad eum Tarracone huic Blesamio dedisti, se magis etiam erexerit, ab omníque solicitudine abstraxerit. Iubes enim eum bene sperare, & bono esse animo: quod scio te non frustrà scribe- XXVII. CICERO.

ſcribere ſolere. Memini enim ijsdem ferè verbis ad me te ſcribere, méque tuis literis bene ſperare non fruſtrà eſſe iuſſum.

NOTAE.

PATRIC. HAEC ILLE REPVTANS ET DIES ET NOCTES COGITANS) Mallem, ET DIES AC NOCTES COGITANS. Vel, DIES NOCTESQVE COGITANS.

BENE SPERARE ET BONO ESSE ANIMO.) Statim dixi cùm hæc legerem, alterum horum abundare. Cùm verò etiam ſequentia illa legi, MEQVE TVIS LITERIS BENE SPERARE ESSE IVSSVM, valde ſum in mea ſententia confirmatus.

ORATIO.

XXIIX.

CICERO. *LAboro equidem Regis Deiotari cauſa, quocum mihi amicitiam Reſp. conciliauit, hoſpitium voluntas vtriuſq; coniunxit, familiaritatem conſuetudo attulit, ſummam verò neceſſitudinem magna eius officia in me, & exercitum meum effecerunt: ſed cùm de illo laboro, tum de multis ampliſsimis viris, quibus ſemel eſſe ignotum à te oportet, nec beneficium tuum in dubium vocari, nec hærere in animis hominum ſolicitudinem ſempiternam, nec accidere, vt quiſquam te timere incipiat eorum, qui*

ſemel

semel à te sint liberati timore. Non debeo C. Cæsar, quod fieri solet in tantis periculis, tentare, quonam modo dicendo misericordiam tuam commouere possim. Nihil opus est: occurrere ipsa solet supplicibus & calamitosis nullius oratione euocata. Propone tibi duos reges: & id animo contemplare, quod oculis non potes, dabis profectò misericordiæ, quod iracundiæ negauisti.

NOTAE.

SEMEL ESSE IGNOTVM) Fortè, SIMVL, pro, SEMEL. Neque enim hoc tale est, quale illud mox. Quisquam te timere incipiat eorum, qui semel à te sunt timore liberati. PATRIC.

OCCVRRERE IPSA SOLET) Mallem, ACCVRRERE: Quasi ad subsidium. Sed bonum est, OCCVRRERE: Hoc autem est, anteuertere & quasi obuiam ire.

DVOS REGES) Patrem & filium.

ORATIO.

Multa sunt tuæ clementiæ monimenta, sed maximè eorum incolumitates, quibus salutem dedisti: quæ si in priuatis gloriosa sunt, multò magis commemorabuntur in Regibus. Semper regium nomen in hac ciuitate sanctum fuit: sociorum v rò regum & amicorum sanctissimum. Quod nomen hi XXIX. CICERO.

n *Reges*

Reges ne amitterent, te victore timuerunt: retentum verò, & à te confirmatum posteris etiam suis tradituros esse confido. Corpora verò sua pro salute Regum suorũ hi Legati tibi regij tradunt. Hieras, & Blesamius, & Antigonus, tibi nobísque omnibus iam diu noti, eadémque fide & virtute praeditus Dorylaus, qui nuper cum Hiera Legatus est ad te missus: tum Regum amicissimi, tum tibi etiam, vt spero, probati. Exquire de Blesamio, nunquid ad Regem contra dignitatem tuam scripserit. Hieras quidem causam omnem suscipit, & criminibus illis pro Rege se supponit reum: memoriam tuam implorat, qua vales plurimùm: negat vnquam se à te in Deiotari tetrarchia pedem discessisse: in primis finibus tibi se praesto fuisse, dicit, vsque ad vltimos prosecutum: cùm è balneo exisses, tecum se fuisse: cùm illa munera inspexisses coenatus: cùm in cubiculo recubuisses: eandémque assiduitatem tibi se praebuisse postridie.

NOTAE.

PATRIC. IN PRIVATIS GLORIOSA SVNT) IN PRIVATIS, id est, collata in priuatos. Et sic. IN REGIB. collata in reges.

TRADITVROS ESSE CONFIDO) Mallem, CONFIDVNT.

FIDVNT. Et sic alicubi Lamb. reperit.

TIBI ETIAM, VT SPERO, PROBATI) Vt spero. Sic sæpe.

NVNQVID) Duabus dictionibus, NVM QVID.

PEDEM DISCESSISSE) PEDEM, Spatium videlicet pedis. Ná piædź nie odchodźił.

ORATIO.

Quamobrem, si quid eorum quæ obiecta sunt, cogitatum sit, non recusat, quin id facinus suum iudices. Quocirca C. Cæsar, velim existimes, hodierno die sententiam tuam, aut cum summo dedecore miserrimam pestem importaturam esse Regibus, aut incolumem famam cum salute. Quorum alterum optare, illorum crudelitatis est: alterum conseruare, clementiæ tuæ. XXX. CICERO.

NOTAE.

SVVM IVDICES) SVVM, Hoc est, ipsius Hieræ esse reputes. PATRIC.

CVM SVMMO DEDECORE) Regum scilicet non tuo.

ILLORVM CRVDELITATIS) ILLORVM, Aduersariorum.

Videtur certè quidem hac oratione nihil Deiotaro impetrauisse, Vide 2. Philip. 95.

FINIS.

Typographus Lectori S.

Quod superioribus duarum Ciceronis orationum notis Patricianis excudendis, feci, vt Fuluii Vrsini in easdem orationes, notas adiungerem, id his quoque duabus orationibus faciendum mihi esse existimaui. Nam et paginæ vacaturæ erant, et certè æquius melius occupari non posse videbantur. Vale lector.

FVLVII VRSINI
In Orationem pro Q. Ligario NOTAE.

Quis putet fuisse crimen esse in Africa] *Videtur legendum vt est in manuscripto,* Quis putet esse crimen fuisse in Africa.

T. Brocchi.] Brocchus *Furiæ familiæ cognomen est in argenteo denario, in quo* L. FVRIVS CN. F. BROCCHVS *descriptus est.*

Vt perhibetis] & prohibiti *vetus liber elegantissime; & ad sententiam aptissimè.*

Etiā si à Varo, & quibusdā alijs prohibiti essetis] *Vetus liber*, si à Varo & quibusdā alijs prohibiti nō essetis.

Ego autem confitebor] *In manuscripto est* tamen, *vnde apparet legendum* ego tum &c.

Quam

Quam vt velis conſeruare quamplurimos.] *Sententia innominati auctoris extat apud Strabonem lib. x. in quo ſcriptũ eſt.* ἔν γὰρ εἴρηται καὶ τοῦτο, τοὺς ἀνθρώπους μάλιστα μιμεῖσθαι τοὺς θεοὺς ὅταν εὐεργετῶσιν.

In Orationem pro Deiotaro.

Crudelis Caſtor] *De Caſtore hoc, videndus Suidas in voce* κάστωρ.

Aui ſeruum] ac ſeruum *vetus liber.*

Si tum auxilia Pompeio] *Videtur legendum*, ſi tantum auxilia Pompeio: *ad quam ſcripturam accedit propius liber antiquus.*

Nihil de veneno: at id fieri potuit] *Antiquus liber,* Nihil de veneno? nihil. At id fieri potuit.

Qualis Rex Attalus in P. Africanum fuit] *Vel Antiochus ſcribendum eſt pro* Attalus, *cui ſunt hæc à Liuio, aliisq́ ſcriptoribus tributa; vel erit ipſius Ciceronis* ἁμάρτημα μνημονικόν.

Alexandriæ] Alexandrea eſt *in argenteo M. Lepidi denario*, & Alexſandrea. ſed Alexandria *vidi notatum in denario Hadriani Imp.*


Niceam] *Scribendum eſt Nicæeam.* ΝΙΚΑΙΕΩΝ *enim habent vetera huius populi numiſmata.*

Quæ eſt tam impudens] *Vetus liber* tam impotens.

Eius enim nomine optimi hominis] optimi viri, eſt *in libris manuſcriptis, quam lectionem agnoſcit Priſcianus lib. viij.*

FINIS.

CRACOVIÆ.



In Officina Lazari, Anno Domini
M. D. LXXXIII.

103

58

[illegible]



In Officina Lazari [illegible]

M. D. [illegible]